NOVA
METH








une traduction ~~texte grec et latin~~ française Paris, Ladrange, 1862

Physique ou Leçons sur les principes généraux de la nature p. J. Barthélemy St Hilaire



NOVÆ METHODI PRO EXPLICANDIS Hippocrate & Aristotele SPECIMEN;

CLARISSIMIS SCHOLÆ PARISIENSIS MEDICIS, D. D.

MARINVS CVRÆVS DE LA CHAMBRE, *Regi à Sanctioribus Consiliis, & primus Medicus Ordinarius.*



PARISIIS,
Apud IACOBVM D'ALLIN, via Iacobæa, in anguloriæ Pergameniæ, sub signo sancti Stephani.

M. DC. LXII.
Cum Priuilegio Regis.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE



CLARISSIMIS SCHOLÆ PARISIENSIS MEDICIS

M. CVRÆVS DE LA CHAMBRE, S.



NE QVIS *Vestrum miretur* (VIRI CLARISSIMI) *quod hosce studiorum meorum fructus vobis offeram, nondum absolutos, nec plenâ manu collectos: Messis præmetium est in quo nec maturitas, nec copia spectatur; sed sola voti religio. Sane votum reddo apud me conceptum ex eo tempore quo primum vocatus sum in partem curarum quæ Christianiss. Regis Valetudini debentur. Cum enim hu-*

iusce Muneris prærogatiuâ me in vestrum Ordinem cooptatum, magnamque honoris accessionem inde mihi factam esse intelligerem; operæ pretium duxi aliquo ingenij monumento palam testari, me quidem hanc Fortunæ gratiam libenter agnoscere; sed (quod tamen non sine præfatione & verecundia dicam) me non omnino huic imparem fuisse. Auxerant fiduciam Elucubrationes aliquot longe antea Apollinis nostri (Magni nimirum SEGVIERII *præter alios summæ dignitatis & virtutis titulos omnium Musarum vere Patroni) monitu impulsuque susceptæ & vt speraueram proximâ fœturâ in lucem edendæ. Munus enim videbatur eiusmodi quo mea omnino Vota exolui possent, dignumque quod ipsius Sophiæ altaribus appenderetur. Erant siquidem nouâ arte explanati diuini Hippocratis Aphorismi, & Principis Philosophorum de Physica auscultatione Libri; Opera, vt scitis, subtilitatis immensæ & vt quibusdam visum est, humani Ingenij captum superantia. Proculdubio iniquis hisce temporibus quibus om-*

nia veteris ſapientiæ dogmata euertuntur, & obtentu cujuſdam obſcuræ breuitatis quæ res antiquas & grauiſſimas decet, ſpernuntur à plurimis, qui ignauo aut præcipiti ingenio, ex compendio Docti eſſe volunt. Hiſce, inquam, temporibus quibus noua, ſi Dijs placet, Rerum naturalium Principia, nouaque Medendi rationes paſsim iactantur; nihil Vobis, nihil à me decentius offerri poſſe viſum eſt quam ipſiſsima Hippocratis & Ariſtotelis oracula ab omni caligine & obſcuritate, quantum per me licuit, libera. Vobis quidem vt doctiſsimis & fideliſsimis illorum Interpretibus; à me autem vt alumno & admiratore perpetuo tantorum Virorum. Quinimo vt ſunt homines in æſtimandis nimium proprijs inuentis cæci & intemperantes, tantopere arriſit ſuſceptum hoc opus, vt non ſolum gratiam apud vos, ſed & aliquam laudem conſecuturum mihi facile perſuaſerim. Si enim de rebus nouis noua differenti (quamuis ſæpius nec difficile, nec mirum illud ſit) meritus tamen reddatur honos; non minor certe expectandus eſt ijs, qui

quod ſumme arduum eſt, vetuſtis nouitatem atque obſoletis nitorem aliquem afferunt, quique præſertim diuina illa Principum Authorum monumenta tot commentarijs, tot notis, tam variâ & multiplici interpretatione iam elucidata, nouo aliquo lumine ampliùs illuſtrant. Ego autem, niſi mea me fallat opinio, videor in illis loca quædam deprauata reſtituiſſe, non paucis genuinum ſenſum reddidiſſe, & quod præcipuum eſt in Hippocrate, ſingulorum Aphoriſmorum ſi non omnes vſus, ſaltem plures multò quam qui nudis in verbis patent aperuiſſe: In Ariſtotele vero loca vacua quibus tegendæ Doctrinæ causâ orationis ſeriem paſsim interrupit, reuocatis quas ex induſtriâ omiſerat ſententijs, penitùs compleuiſſe. Itaut Libri omnium obſcuriſsimi, quique conſultis etiam oraculis, euocatiſque aliquomodo Dijs comprehendi vix poterant, facillime iam intelligi poſsint. Verum an magnis adeo promiſsis effectus fuerint pares, an vana ſint hominis ſibi blandientis & cæco amore fœtus ſuos proſequentis Inſomnia; veſtrum erit V.C. di-

judicare: In his enim vt in cæteris vos habere cupio, aut Fautores ad tutelam, aut Iudices ad censuram. Primum equidem vehementer ambio, nec tamen alterum recuso: sicut enim summæ felicitatis est à Tantis Viris comprobari; ita non est indecorum ab illis emendari. Vt autem faciliùs gratuitâ hac operâ defungamini, vtriusque Authoris vnicum proferam Librum; eâque potissimum de causa; quod cùm Artis potius quam Artificis facultas hîc expendenda sit, æque in minima parte Operis ac in Toto probabitur: Tum quia prudenter me facturum existimaui, si antequam integrum edatur, hoc specimen exhiberem, ex cuius sorte conjecturam facerem de totius Operæ fatis. Daturus autem experimentum in Hippocrate, Librum secundum Aphorismorum selegi, quia cum præcipua Methodi nostræ ratio posita sit in transferendis Aphorismis ad alios vsus quam quos verba designant, Primus ita astrictus est proprio argumento, vt excursum ad alia non facile patiatur, nec possit nisi jeiunam admodum nostri laboris indu-

ſtriam demonſtrare. Hanc autem non Nouitatis gratiâ, non auſus magnitudine, non vtilitate operis commendatam vobis eſſe velim; Scio enim quam hæc parui ſint momenti apud viros, quos nihil latet eorum quæ doctrinâ comprehendi poſſunt: Sed Religione voti quo defungor; ſed meâ in veſtrum Ordinem ſingulari obſeruantiâ; ſed neceſsitudine quæ mihi cum pleriſque veſtrûm interceſsit, quamque cum cæteris iungendam & omnibus officijs colendam vehementer exopto.

PRÆFATIO



PRÆFATIO.

IN QVA AVTHORIS Inſtitutum & totius Operis Ratio proponuntur.



EDICINÆ & Philoſophiæ Naturalis, quæ ſociæ ſunt & indiuiduæ Diſciplinæ, puriſſimos fontes latere in Scriptis Hippocratis & Ariſtotelis, res eſt omnium Doctorum ſuffragijs & viginti ferme ſæculorum conſenſu iudicata. Eamque ob cauſam quotquot in vtrâque præſtantes eſſe voluerunt, nihil antiquius habuere, quàm vt in Magnorum horumce virorum monumenta toti incumberent, & perpenſis verborum ſententiarumque ponderibus, illo-

rum ſenſa penitùs inquirerent: perfectam rerum notitiam, meritamque doctrinæ famam aliunde hauriri non poſſe prudenter exiſtimantes.

Verum quem in his fecere profectum aut æquauit labor au ſuperauit. Ita enim perplexè & obſcurè vterque locutus eſt, vt ad ſingula verba ceſpitandum illis fuerit, antequam tantis tenebris lucem aliquam afferre potuerint. Et quamuis potiori conditione jam ſimus quam qui hanc caliginem primi diſcutere tentarunt; videanturque omnia jam nobis aperta per tot Commentarios, per tot Notas, pet tot Interpretationes quibus vnaquæq; Ætas ambos illos Authores illuſtrauit: Multum tamen reſtat operæ, & nulli præcluſa eſt occaſio aliquid ijs adijciendi. Cùm enim multa ſilentio texerint, quæ ſubintelligi voluerunt; quæcumque vis animi adhibeatur in illis detegendis, aliqua ſemper effugient coniectantem; & vt in aliis Artibus ſæpe accidit, quæ viri celebres aſſequi non potuere, aut Temporis ſpatium aut Caſus tandem aperiet minùs etiam peritis.

Atque id ſane mihi contigiſſe dicendum eſt, ſi quid in hoc Argumento feliciter ſuc-

ceſſerit : Nec enim tantum mihi ſumo, vt quod prǣſtantiſſimis viris imperuium fuerit, maiori ſolertia aut acriori iudicio id me penetraſſe credam. Totum hoc fortunæ beneficium eſt quæ vt in multo telorum jactu eorum aliquod ad ſcopum dirigit, ita in varias coniecturas ſeſe promouentem animum ad aliquam impulit fortaſſis non contemnendam.

Verum quamuis ex huiuſcemodi euentu nulla ingenii commendatio nobis expectanda ſit: Conſilium tamen Operis quod omnino noſtrum eſt, aliquam apud æquos iudices laudem forte demerebitur. Cum enim animaduerterem Diuina illa opera paſſim in contemptum venire, iiſque relictis, magnam iuuenum partem aut laboris impatientiâ aut ſtudiorum compendio, amplecti vana quędam Nouatorum commenta quæ omnem Veterum ſapientiam euerterunt, Medicinamque ad ſolam fere ἐμπειρίαν coercuere : non potui quin vota facerem pro comprimendo publico hoc malo, & pro meis viribus quærerem tanti erroris cauſas & auxilia ei corrigendo idonea.

Poſtquam autem aliunde oriri non poſſe viſus eſt quàm ab obſcura illa Breuitate

qua prudentissimi viri vsi sunt tum ad conciliandam scriptis maiorem authoritatem, tum ad tegenda prophanis plebeijsque ingeniis illarum scientiarum mysteria : Perscrutari placuit in quo maxime delitesceret hæc Obscuritas quam tot exquisitæ Interpretum Elucubrationes non dissiparunt. Re vero diligenter, vt mihi videbatur, excussa, patuit præcipuam illius causam positam esse in eo quod multa reticuerint quæ Lector assequi conijciendo deberet & sine quibus nec illorum mentem, nec perfectam earum scientiarum notitiam attingere posset.

Atque id sane Hippocrates quadam necessitate impulsus præstitit in Aphorismis: Cum enim ad pauca quædam Capita vastam & immensam Artem contrahere statuisset, ne trunca & manca redderetur, necesse illi fuit sub vnoquoque plura præcepta recondere, quàm quæ verbis designarentur; Et singulos Aphorismos præter id quod expresse docent, proponere vt signa & notas quibus aliarum rerum eódem spectantium recordatio excitaretur.

Verum Aristoteles nihil coactus, sed datâ operâ suis accuratioribus Libris caligi-

nem offudit, non ſolum vt vulgus, ſed vt aliarum Sectarum Philoſophos laterent; Quos cum videret, aut Ænigmatum inuolucris, aut myſteriis Numerorum, aliiſque eiuſmodi offuſcijs Doctrinam ſuam occultaſſe; voluit quoque propria & ſubtiliora inuenta eâ arte euulgari, vt nonniſi ſe conſultô apprehendi poſſent: Quæ idcirco Acroamatica appellauit quod auſcultantes expoſcerent Diſcipulos ab eius ſolius ore explanationem illorum accepturos. Id autem molitus eſt quarumdam propoſitionum diſtractione qua Totum Opus quaſi mutilum reddidit: Suppreſsâ enim modò alterutrâ præmiſſarum, modò concluſione, ſæpe etiam ipſo diſputationis argumento, pergit nihilominus ad cætera & vno contextu res nullomodo cohærentes copulare videtur: vnde intricata, hians & obſcura redditur illius oratio.

Si itaque vacua illa ab vtroque illo Authore relicta, adimplere; Et res ab Hippocrate, ſententiaſque ab Ariſtotele prætermiſſas reuocare quis poſſet; proculdubio omnem ab illis obſcuritatem abſterſiſſe iure diceretur. Atque in hoc quidem tota vertitur Noua illa Methodus quam

hîc propono : Oſtendit enim quomodo commentandi ſint Aphoriſmi, annotando ſcilicet illorum vſus ab Hippocrate intentos, nec tamen conſcriptos : Et quomodo libri Phyſicorum traducendi, ſententias ab Ariſtotele ſuppreſſas in integrum reſtituendo. Quod quia non poteſt fieri, niſi penitùs inſpectâ & exploratâ vtriuſque authoris mente, hinc etiam fit, vt ad metam hanc properanti multa alia in tranſitu occurrere poſſint quæ alios latuere.

Sane quod ad Hippocratem ſpectat, Quatuor ſunt in eius Aphoriſmis inquirenda : Nimirum Senſus vniuſcuiuſque ; Vſus ad quem dirigi poteſt ; Ratio cui innititur ; & Ordinis ſi quæ fuerit in ijs digerendis œconomia.

Quod ad Senſum pertinet, Alter eſt in verbis, Alter in vſu: ſæpe enim Vſus occultus eſt, nec patet in verbis, quamuis in eo verus Aphoriſmi ſenſus quærendus ſit. Priorem autem difficilem captu in multis effecere aut Deprauata Lectio, aut Homonymia Verborum, aut Intricata ſententiarum membra. Sic Aphoriſmi quinti, Sectionis quartæ, *ſub cane & ante canem laborioſæ ſunt Purgationes*, ſenſus à nullo videtur exa-

ćte cognitus ob lectionis deprauationem à Librarijs factam : legerunt enim ὑπὸ κύνα καὶ πρὸ κυνὸς, loco ὑπὸ κύνα καὶ προκύνα *ſub cane & Antecane* ceu *Procyone* ; quæ nomina ſunt duorum Syderum ſub quorum exortu difficiles ſunt Purgationes. Sic Aphoriſmus 56. Sect. 7. *Iactationem, oſcitationem , horrorem* Οἶνος ἴσος ἴσῳ πινόμενος λύει vinum æquale æquali potum , ſoluit ; à Galeno & aliis non eſt intellectus ob verborum ἴσος ἴσῳ homonymiam : Voluerunt enim his ſignificari æqualem vini & aquæ mixturam, quæ tamen non conuenit hiſce affectibus, & cuius certa regula dari non poteſt in tanta vinorum diuerſitate. Conſtat autem his verbis notari præſcribendum eſſe vinum æquale æquali , id eſt analogum temperamento , conſuetudini, ætati, &c. eo prorſus modo quo alimentum æquale æquali inſtituitur ab Hippocrate. Denique Aphoriſmus 33. Sect. 2. *In omni morbo mente conſtare & bene ſe habere ad ea quæ offeruntur, bonum :* non eſt exploratus ob perplexa & in ſe inuoluta illa duo ſententiæ membra, vt à nobis eo loci expoſitum eſt.

Præcipuus autem vniuſcuiuſque Apho-

riſmi ſenſus in illius Vſu poſitus eſt; præcipuaque Medici cura in eo detegendo eſt adhibenda: Cum enim Hippocratis conſilium hîc fuerit cuncta Medicinæ Operatricis præcepta tradere; nullus eſt Aphoriſmus quem ad vſum practicum, eumque aut Prognoſticum, aut Therapeuticum non direxerit. Verùm Alius eſt *Apertus* quem nuda verba demonſtrant; Alius *Occultus* qui expreſſe non patet in verbis: Et hic duplex eſt, vnus *Proprius* qui proxime rem verbis expreſſam attingit: Alter *Trallatitius* qui ad res alias, conſimiles tamen, transfertur. Exempli gratia Primi Aphoriſmi Section. 2. *quo in morbo ſomnus laborem facit funeſtum*; vſus Apertus in prognoſtico ſomni laborioſi ſpectatur: Occultus verò Proprius ad curam huius ſymptomatis pertinet; Trallatitius denique ad omnia alia quæ inſtar ſomni laborem inferunt, cum tamen iuuare deberent, extenditur. Quamuis autem in multis tres hi vſus annotari poſſint; non omnes tamen in omnibus animaduertuntur: ſunt enim quidam Aphoriſmi in quibus Apertus nullus eſt vſus, cuiuſmodi eſt vltimus Sectionis. 2. qui docet *Proceritatem in iuuenta decoram eſſe*,

in

in senectute deteriorem: nihil enim ad artem conferre videtur hæc obseruatio; sub qua tamen latet maximi momenti ad prognosim & therapeiam præceptum. Sunt etiam aliqui in quibus occultus vsus, modò Proprius, modò Trallatitius aduerti non potest, vt palam fiet singulos accurate examinanti.

Quod ad Rationes Aphorismorum spectat, rarissimas attulit Hippocr. tum vt breuitati ad memoriam accommodatissimæ studeret, tum vt grauiora redderet Artis Decreta quæ instar legum imperare non suadere debent. Eas autem inquirere munus est Interpretum.

Restat *Ordo* quem multi anxiè quæsiere, rati Aphorismos omnes serie quadam certa & inuariabili, qualem Doctrinæ Methodus expostulat, esse dispositos. Alij contra illum omnino spreuerunt, hæc Theoremata quasi oracula quædam sybillinis foliis inscripta, huc illuc, provt casus tulit, sparsa existimantes. Verùm nisi mea me fallat opinio, vtriq; longe aberrarunt. Quamuis enim exquisitus Doctrinæ ordo hîc obseruatus non fuerit; subest tamen nexus aliquis quo singuli Aphorismi inter se colligantur; isque ita sæpe necessarius vt multi vix intelligi possint nisi cum præcedentibus conferantur; multi quorum vsus periculosus esset, nisi cautione & exceptione subsequen-

tium dirigeretur. Sunt equidem plures qui in aliam ſedem amandari poſſent, ſine vllo periculo, & ſine vlla Artis iactura: verumtamen nullus eſt in qualibet ſectione qui aliquam non habuerit cum ſuperioribus connexionem, ſaltem in mente Hippocratis. Certum enim eſt illi præceptum aliquod ſcribenti, prius in mentem veniſſe ea quæ eiuſdem erant argumenti, aut quæ ob ſimilitudinem ad illud referebantur; eaque prout ſeſe offerebant, ſcriptis mandaſſe: His verò peractis aliud initium & quaſi nouum caput ſententiarum conſtituiſſe, pro quorum numero fortaſſis in varias Sectiones diuiſum eſt totum hoc Opus. Huius autem Ordinis inquiſitio, licet quoad plures Aphoriſmos parùm ad vſum medicum faciat; quia tamen nihil eorum quæ à tanto viro perſpecta fuere, præteriri oportet; nec poſſint niſi ſummâ cum voluptate illius conſilia ſenſaque aperiri; Optimum ſemper erit huius ordinis quam habuerit rationem inueſtigare, quæ etſi Artem non promoueat, iuuabit ſaltem ſententiarum connexione memoriam Artificis.

Mihi itaque Vſus Aphoriſmorum præcipuâ cura perquirenti ad alia patuit aditus; viſus ſum enim corrupta quædam loca reſtituiſſe, multis Aphoriſmis genuinum ſenſum reddidiſſe, aliquos firmaſſe nouis demonſtrationibus;

Et Ordinis rationem monſtraſſe in ſingulis: ita vt in quolibet aliquid nouum & ab aliis intentatum agnoſci poſſit.

De cætero fateor aliqua eſſe nimium trita & indigna fere quæ annotarentur. Verum præterquam quod hæc pro Tironibus & Nouitiis in arte ſcripta ſunt; illud eſt vitium cuiuſlibet Methodi, cum ad ſingula deſcendere cogitur. Multa etiam agnoſco ab aliis mutuo accepta, & fortaſſis creditum collocatione deterius factum eſt: Sed quî fieri poterat vt eorum qui in Hippocrate explicando feliciter inſudarunt, operâ non vterer idem onus profeſſus; præſertim cum ſobriè & quaſi per tranſennam ad alia properans, id præſtiterim? Plurima denique omiſſa eſſe ſcio quæ operi adiecta numeris omnibus abſolutum illud feciſſent: Verùm id tribuendum ingenij noſtri tarditati quæ omnia non potuit attingere; Et vt vera dicam non vnius eſt hominis totum hoc negotium conficere. Quis enim cuncta Hippocratis ſenſa quę animo recondidit, diuinare poſſit? quis omnes vſus ad quos ſinguli Aphoriſmi dirigi poſſunt, deſignare valeat? Certè optandum eſſet vt præſtantiores Medici ſimul aliquando conuenirent; & eorum quiſque proferret in medium quid de vnoquoq; Aphoriſmo ſentiret, verbaque illius ſingula in varias coniecturas

verſans, præter eos qui paſſim iactantur vſus, inquireret ad quos alios deriuari & cui artis operæ inſeruire poſſet: ſic enim tandem tota conſtaret mens Hippocratis & cum felici ſtudiorum compendio magna ad rem medicam acceſſio fieret. Ego equidem ſolus cum ſim, quod potui prę̨ſtiti, & ſi in vaſtis & ignotis hiſce regionibus non longè proceſſiſſe, ſaltem aliis viam monſtraſſe gloriari forte licebit.

Quod ad Ariſtotelem ſpectat in eo explicando eâdem fortunâ vſus ſum quâ in Hippocrate: Propoſitiones enim ab eo ſuppreſſas in textum reuocare conanti, occurrere quædam fœdata verba, multæ ſententiæ ab Interpretibus malè traductæ, multa interpunctionum vitio intricata membra. Quæ omnia caſtigari & emendari oportuit. His autem indicandis ad paginę marginem ſtellula appoſita eſt; quibuſdam etiam correctionis ratio addita: propoſitiones vero reuocatas diuerſo charactere edendas curauimus vt pura ſinceraque verſio ſub aſpectum veniret. Hanc autem non verborum lenocinio aliiſq; Rhetorum pigmentis ornatam exhibuimus; Philoſophia enim matrona eſt quę fucum & cincinnos dedignata ſimplici & proprio gaudet cultu, ſoletq; res altiſſimas demiſſo & pedeſtri, vt ita dicam, ſermone perſequi.



C. V. D. DE LA CHAMBRE ARCHIATRO.

A. CARPENTARIVS SCHOLÆ Parisiens. Doctor Medicus, S.



NTER alia fœlicis Ingenij monumenta quibus os doctiorum mereri & meliore tui parte libitinam vitare datum est (VIR CLARISSIME) *nouissima illa* ἔκδοσις *ad vnguem elaborata, fœtura illa animi cultioris, obstetricantibus melioribus musis haud ita pridem edita, sic te supra omnem commendationis aleam extulit, vt inde palmarium laudis nunquam intermoriture tibi deberi merito fateantur non modo ij qui bonas artes colunt; verùm & iniquissimi quos liuor alienæ laudis conficit, inuiti licet agnoscant & prædicent. Equidem post desudatam Physicis rebus non minus gloriosè quam gnauiter exornandis operam; post emensum* ἐγκυκλοπαιδείας *orbem; æquum parque erat te aliàs in Arte Medica palmarem experiri, atque palàm facere quid in ea longiore vsu profecisses: scilicet vt intelligerent omnes te ad hunc honoris gradum (qui homini in ea professione amplissimus esse potest) nulla gratiâ, aut ambitu, sed solo*

virtutis merito aſcendiſſe. In ea cura & cogitatione quæ ſedebat animo, non fuit diu ambigendum quos appellare poſſes teſtes tuæ illius quâ natura te beauit εὐφυΐας atque induſtriæ: Occurrebant paſſim magna illa nomina, nobiles illæ animæ in arte noſtra principes viri & quaſi majorum gentium Dij; nec fuit ex illis diu quærendus quem legeres, vnus ſenex Cous præ omnibus eminebat qui λόγους ἀληθῆς nemine reclamante audit; atq; tanti viri monumenta eo cultu & veneratione ab Artis Profeſſoribus cum ſint excipienda ſingula vt pretium ferant laudemq; mereantur: Prudenter tamen vt omnia abs te factum eſt, vt Aphoriſmorum opus aliàs ἀκροαματικὸν, ἐποπτικὸν καὶ βαθυτέρων διδασκαλίων, verbo dicam omnia ἀνθρωπίνην ὑπερβαῖνον σύνεσιν delegeris, ceu feracem campum in quo illæ ſegetes Polymathiæ, quas à teneris ſedulo coluiſti, lætius erumperent, metentium ſpem nunquam mentituræ: Non aliud ſuppetebat fœlicius argumentum in quo diuitias illas ingenij explicares quam in κυρίαις δόξαις propalandis diuini illius ſenis, qui dum breuis eſſe laborat, obſcurus plerumq; euadit. Nec te à propoſito reuocauit gentilitia illa nomothetæ, in ferendis legibus humanæ valetudinis φιλοσυντομία quæ dum multa paucis complectitur, ea nonniſi longiori & operoſa meditatione extricanda inque lucem eruenda: Gnarus ſcilicet leuium metallorum fructum in ſummo eſſe; Illa vero opulentiſſima cenſeri quorum in alto latet vena, plenius reſponſura

fodienti. Minus te mouit illa heroè tanto (vt is τὴν ὀνοματοποιΐαν εὐχερὴς digna μεγαλορρημοσύνη) atticus ille lepos nuſquam proletarius & plebeij ſaporis, ἁδρὸν illud ſcribendi genus animæ diuinioris interpres & nuncius; quod degeneres vileſque animas (quibus nil ſalit læua in parte mammillæ) plerumque territat & auocat ab illius viri lectione. Iſtud bonæ mentis impedimentum remouet & laruam detrahit atque ad benè audendum philiatros ſperare iubet tua illa προαίρεσις μέτριος καὶ φιλάνθρωπος quæ tam tersè, nitidè, copiosè & ornatè Medicinæ principis ſenſa aperit, dubium vt ſit plus Hippocrati alias σκοτεινῷ, an tibi Δηλίῳ & Oedipo alteri poſteritas ſit debitura. Magnam proinde gratiam tibi habituri omnes quod iſta etiam cum diſpendio valetudinis curaueris, nec artis modo medicæ profeſſores, ſed & inſuper philologi omnes qui humaniores diſciplinas ambiunt; illi magnitudine earum rerum de quibus ſermo tibi eſt, quod inueniant vnde in medendo cautiores fiant; hi vero ſermonis venuſtate & elegantia quæ tibi familiaris eſt in ſcribendo, vnde voto ſuo faciant ſatis. Et tuæ commentationi hoc illi amplius pretium facit ipſa rei nouitatis gratia; cum enim ἰατρῶν παῖδες, ijque melioris notæ quamplures ſedulo elaborarint vt quod induſtria ſingularis & animi ſolertia in eam partem operum Hippocratis extuderat, id vtendum darent atque publici iuris facerent; Tu (verbo abſit inuidia) eorum curam ſic anteuertiſti in exornanda hac

ſparta, verè vt quod olim de vrbe Roma iactatum, marmoream reliqueris quam lateritiam acceperas. Hæc tua ab illorum cogitatis tantùm diſtare quantùm æra lupinis vel hoc vnum fidem facit, quod Anteceſſorum plures in hac perſona ſuſtinenda, ne quid grauius dicam, θυμβώρυχοι, in alienis interpolandis ſuam poſuerint operam, crambem meram recoquentes & ad nauſeam vſque ingeminantes toties ab alijs decantata, haud diſſimiles furibus alienis poculis anſas mutantibus. Tu vero ab eorum inſtituto alieniſſimus, longe alia via quam illi preſſere, inſiſtens, in ea naturæ indole, quæ nihil niſi altum ſpirat, in ea ingenij fœlicitate, quæ nihil niſi ſerium cogitat, dictante qui tibi aſſidet genio κριτικωτάτῳ, vulgaria neſcis, ſola placent ἀκαταμάθητα, ſelecta, recondita & ante hunc diem nulli audita; neve iniquiſſimi rerum æſtimatores cauſentur ſapere te ex commentario & ſub aliena vmbra latere, eiurato Interpretis tanquam ab exemplari pendentis & alieni ſemper arbitrij odioſo nomine, titulum auctoris ex ſe audentis & promentis aliquid, honorificentiſſimum quæſiuiſti. Atque vt nolim magnis illis viris qui hanc partem Hippocratis ſuis vigilijs illuſtrarunt iniuriam fieri deceſſione eius laudis quæ illis iure debetur, ſic verè & audacter affirmare poſſum te bonum patrem-familias egiſſe & accepta ab illis feciſſe meliora & ampliora. Per me licet ſumas ſuperbiam quæſitam meritis, tibi medicorum οἱ χαρίεντες

aſſurgant

aſſurgant atque ingenij faſces ſubmittant, etiam fremente & indignante ipſa inuidiâ quæ magnis adhærere & viuos fatigare amat. Neque eſt quod vitio malignitatis humanæ apud quam vetera ſunt in laude, præſentia in faſtidio, reformides maligniorum dentes qui optima quęque arrodunt & vellicant; hoc vt ſperem, iubet ipſa dedicatio operis conſultiſſimo illi Medicorum Pariſienſium Ordini. Etenim ille Aſclepiadarum Senatus, medicus inuidiæ futurus, faſcinum omnem maleuolentię deſpuet, atque contagia regeret, maledicam illam vernilitatem quam peſſimus ille veritatis Interpres pronis auribus accipit vulgus, facilè amolietur; & quem ſolutiſſimę linguæ homines Rabieni illi nigræ ſuccum loliginis euomunt atque aliorum vigilijs ſubdolè ſuffundunt, probè eluet; nebulas iſtas atque fumum maledicentiæ fugabit, diſcutietque ſol ille Pariſienſis purior qui reliquum orbem melioris doctrinę luce colluſtrat: Neque tuo operi patrocinium quærere potuiſti auſpicatius quam ab ijs qui tibi & profeſſionis ſtudio & artis placitorum conſenſione ſunt conjunctiſſimi, neque aliorum iudicio & arbitrio tua cenſenda permittere æquius fuit, quam eorum qui Ariſtarchi habentur & ἀδεκάστως integris & ſinceris animis de rebus ſententiam ferunt, nulli hæreſi præterquam veritati ſeruientes, haud animo prouidente verum, vbi partium ſtudia officiunt. Etenim iudices artis habere artifices, præter

quam quod firmiſſimum contra inuidiæ tela munimentum; etiam certiſsimum ad ingenij famam properantibus compendium. Ita ille catus nomotheta ſedulo canit edixitque Medicum oportere διδόναι τὰς εὐθύνας ἐν ἰατροῖς: Indeque factum eſt, vt nonnullorum haud pœnitendi in re Litteraria labores, & conatus licet egregij recto minus talo ſteterint; imò intra primas memoriæ metas corruerint: hoc vno forſan nomine quod patronos & fautores in cuius ſinum confugerent, minus intelligentes ſcientéſque ſibi quæſiuerint. Neque id mirum; qui enim non intelligunt artes, non mirantur artifices. Atque hæc nuncupatio operis ſic ex animi ſententia ceſſit & expectationi reſpondit, non modo vt cenſores verum & laudatores inueneris Medicos Pariſienſes, nauatæ in Hippocrate Illuſtrando operæ. Et quidem tam lautè & oppiparè tu parochus vocatos apud te accepiſti, ſola vt promulſis conuiuis hodie appoſita ſaliuam illis mouerit obnixè poſtulantibus, ne cœnæ caput in longius differendo bilem eis in naſum mora conijciat; perplexè tecum loqui deſino, orant illi vt quas habes pari cura & ſtilo elucubratas in reliquos Hippocratis Aphoriſmos commentationes, eas Medicinæ ſtudioſis non inuideas; ſi te exorari permiſeris, priuatam ſimul & publicam rem pleniore obſequio demerebere.

NOVA RATIO
Explanandi Aphorismos
HIPPOCRATIS
Per quam
VSVS APHORISMORVM
AB HIPPOCRATE INTENTI,
nec tamen conscripti aperiuntur.



VSVS
APHORISMORVM
HIPPOCRATIS
LIBER II.

APHORISMVS PRIMVS.

Εν ῷ νοσήματι ὕπνος πόνον ποιέει, θανασιμόν· ἢν δὲ ὠφελέει, οὐ θανασιμόν.

In quo morbo ſomnus laborem facit, lethale; ſi vero iuuat, non lethale.



SOMNVS omnis laborioſus non eſt lethalis; ſed ille ſolus qui grauiter & frequenter lædit, quique aut veternum, aut conuulſionem, aut extremum langorem, aliudve calamitoſum ſymptoma adducit. Nam licet augeat febrim aut ſi- *Senſus Aphoriſmi.*

tim exasperet, aut aliam molestiam inferat; non ideo semper lethalis, verùm semper malus censendus est. Itaque aut θανασιμὸν hîc pro κακὸν posuit Hippocrates, vt aliàs etiam præstitit; aut sub maiori, minus quoque voluit intelligi: quasi dicat, malum id semper esse, si somnus lædat; lethale, vero si grauiter lædat. Ita cum dixit à somno iuuari οὐ θανασιμὸν non lethale; hoc verbo significari voluit *bonum & non malum*. Somnus enim qui iuuat alius bonus qui ad salutem facit, alius minime malus qui ad illam nullum habet momentum: Ideoque non opposuit bonum & salutare, lethali; non enim omne salutare est quod non est lethale; nec omne bonum est quod nihil affert mali.

Ratio Aph. Malus est autem laboriosus Somnus, vt signum & vt causa; arguit enim multam prauamque anathymiasim deferri ad caput; & impotentiam caloris natiui qui intro collectus quas debuerat causas morbificas superare, indomitas reliquerit. Noua etiam intentat mala, cum veternum aut delirium ingerit, cum inflammationes internas auget, cum longiores paroxysmos & diuturniora symptomata efficit; & quod minimum est, cum fraudat ægrotantem vtilitate vigiliarum.

Vsus apertus. Quamuis autem hic Aphorismus coërceri videatur ad prognosim, eamque solam quæ ex Somni con-*Ordo Aph.* ditione in febribus acutis institui debet: (*verosimile enim est Hippocratem toto libro superiori de ijs morbis loquutum, prospexisse statim illorum symptomata & à Somno initium duxisse, vt magis obuio, & perpetuo eorum comite*) Attamen cum illius institutum fuerit, vt in præfatione annotauimus, sub vnoquoque præcepto multa alia recondere, & singula dirigere ad plu-

res vſus, quàm qui verbis deſignantur; Hôc conſilio Somnum hîc propoſuit, non ſolùm, vt ex eo de conſtitutione febrium acutarum iudicium fieri poſſet; ſed etiam, vt ſimilis traheretur coniectura pro alijs morbis. In his enim ſi ledat aut iuuet Somnus, eandem quæ in illis prognoſim aperit. Nam in longo affectu ſi veternoſus aut turbulentus ille ſuperuenerit, non minorem ſæpe metum incutere debet, quàm ſi in acuto. Imo in ſanis portendit proxime affuturos morbos, vt paſſim docuit libro de inſomnijs.

2° Hac prognoſi nos rectà ducit ad Therapeiam: Tacite enim innuit prohibendum eſſe Somnum qui laborem infert, ſiue à morbo ſiue à naturâ excitetur. Non ſolum enim compeſcendus eſt is qui præter naturam accidit in affectibus cataphoricis & initiis paroxyſmorum; in illis quidem quia ſæpe totam vim mali continet; in his vero quia longiores acceſſiones efficit & tardat naturæ motum ad criſim, retentis intus fuliginoſis excrementis quæ per cutis ſpiracula vigilia excerneret. Verumetiam ille qui ſecundum naturam fit in peſtilentibus morbis, quia reuocat intrò materiam morbificam quæ foras eijci deberet: In inflammationibus internis quas irritat calore intus collecto & pulſis humoribus ad focum morbi: In coryza & diſtillationibus, quia accumulat humores in cerebro qui poſtea fouent augentque eiuſmodi affectus. In his enim licet non omnino cohibendus ſit vt in ſupradictis; Ità tamen coërcendus eſt vt non quantus à naturâ concederetur, ſed quantus viribus ſuſtinendis ſufficit, permittatur. Non ſolum autem prohibendus eſt Somnus qui præter naturam accidit, verum

Vſus occultus proprius.

etiam cauſæ quæ illum efficiunt, expugnandæ conuenientibus remediis.

Vſus tralatitius. Præterea in vna ſpecie indicat totum genus, nomine enim Somni comprehendi voluit omnia alia quæ cum ægros iuuare deberent, illis tamen laborem inferunt. Eſt enim Theorema vniuerſale, quod ſi vnde plurimum expectatur præſidij, inde mali acceſſio adjungatur, planè id funeſtum eſſe. Quamobrem omnia quæ intus fiunt & quæ de foris adueniunt, ſi laborem afferant, cum alleuare debeant ægros, æquè periculum minantur ac Somnus hîc propoſitus. Ita ſi venæ ſectio irritet morbum, indicium eſt naturam effœtam eſſe, aut ab opere aliquo temerè auocatam, aut ſaburram humorum inde commotam & ad partes nobiles translatam. Si verò purgatio in crimen venerit, arguit naturam fuiſſe imparem remedio, aut cruda præpoſtere commota, vnde morbi recrudeſcunt & ſymptomatis augentur. Par etiam ratio ciborum qui ritè & loco aſſumpti ſi vires deijciant quas conſeruare aut lapſas reſtituere debent, indicant aut naturam exolui, aut multâ cacochymiâ fœdari. Talia ſunt etiam omnia iudicatoria non iudicantia; itaut idem omnino de ijs pronunciandum, quod de ſomno laborioſo; verumque ſit; in quo morbo ſudores, aut alij motus critici laborem faciunt, id perniciosum eſſe.





APHORISMVS II.

Ὅκου παραφροσύνην ὕπνος παύει, ἀγαθόν.

Vbi ſomnus delirium ſedat, bonum.

BONVM id quidem eſt, quamuis certam non ſemper ſpondeat ſalutem: poteſt enim æger delirio ita per morbum ſedato interire vi alterius morbi intus deliteſcentis, aut prioris etiam recrudeſcentis. Sæpius tamen illa leuatio erigit Medicum in ſpem ſanitatis futuræ; arguit enim robur caloris natiui, integritatem viſcerum, & materiæ morbificæ mitigationem; quæ omnia magnam faciunt ſalutis expectationem. *Ratio Aph.*

Non eſt autem exiſtimandum, vt paſſim creditur, hoc exemplum adductum fuiſſe in confirmationem poſtremæ partis Aphoriſmi ſuperioris: Aphoriſtica enim methodus cui ſatis eſt vniuerſalia propoſuiſſe intactis particularibus, non patitur hos excurſus, nec quærit in exemplis fidem propoſitarum ſententiarum. Verum duplici, vt mihi videtur, de cauſa id actum eſt. 1° vt hac obſeruatione oſtenderet Hippocrates non ſolum eam quam Somnus affert leuationem eſſe non lethalem, ſed etiam aliquando bonam & ſalutiferam: Nam vt *Ordo Aph.* *Senſus. vſus apertus.*

notauimus antea, non omne ſalutare eſt, quod non eſt lethale; dixerat autem in vniuerſum eſſe non lethalem; jam vero addit poſſe etiam eſſe bonam.

Vſus occultus trallatius. 2° Vt inſinuaret aliud Theorema medicum maximi vſus in prognoſi, ſcilicet, id optimum eſſe, ſi vnde ſymptomatum grauium metus expectatur, inde plurimum opis accedat. Cum enim Somnus in omni inflammatione interna periculoſus ſit, ſi eius acceſſu delirium quod ille irritare ſolet, ſedetur; ſalutare admodum eſt, & ſpem facit jamjam affuturæ ſanitatis.

Meminit autem Delirij vt grauiſſimi mali, quo omnia alia morbis ſuperuenientia ſymptomata ſignificantur, qualia ſunt anxietas, dolor, &c. quæ ſi à ſomno ſoluantur, naturæ de morbo triumphantis certiſſima ſunt indicia.

Proprius. Porro ad praxim reuocabitur hæc prognoſis, ſi in eiuſmodi affectibus, appoſitis remedijs Somnus concilietur: Artis enim eſt ea tentare quæ naturâ mouente ſunt ſalutaria. Sed cautio addatur ne Delirium cerebro idiopathicum ſit: tunc enim niſi longæ vigiliæ fatigauerint ægrum, ſomnifera ſunt periculoſa; impinguunt enim altiùs cauſas delirij, eaſque reddunt pertinaciores. ſobriè etiam & circonſpecte eiuſmodi remedijs vtendum eſt, ne cerebrum immodicè flectant ad frigidam intemperiem, quæ funeſta eſt, vbi calidiori ſuccedit.



APHORISMVS III.

Ὕπνος, ἀγρυπνίη ἀμφότερα τοῦ μετρίου μᾶλλον γινόμενα, κακόν.

Somnus & vigilia si immoderata existunt, malum.



Somno ad vigiliam facilis erat transitus, facilis vtriusque connexio. Ambo itaque si modum excesserint, hoc est, si supra naturæ necessitatem aut vim causarum secundùm naturam se habentium longiores sint: Nam si puero, si ex consuetudine, si post multas vigilias Somnus diuturnior irrepserit; non ideò censendus erit immoderatus; quemadmodum nec vigiliæ si causas proportione similes habuerint. Aliàs vtraque mala sunt, vt signa & vt causæ. Ille quidem arguit cerebrum frigidius factum aut nimio humore perfusum, vel crassiorum vaporum copiâ obrutum; aut illuc translatam fuisse materiam aliquam contumaciorem. Vigilia verò longior indicat partis illius principis squalorem, inopiam vaporis somniferi à calore totum humidum absorbente, aut bilis symptomaticam metastasim. Somnus quoque affert capitis grauitatem & calorem natiuum obruit compresso spirituum motu & retentis

Ordo Aph. *Sensus Aph.* *Ratio Aph.*

intus excrementis. Quemadmodum vigiliæ debilem reddunt facultatem animalem, pariunt cruditates & materiam morbificam pepasmi expertem relinquunt, exhaustis nimirum spiritibus à continua agitatione.

Vsus apertus. Quamuis autem certissimum sit Hippocratem hunc Aphorismum scribentem ad solos morbos primùm respexisse, & vno exemplo immoderationem omnium rerum in ægris vituperandam docuisse; *Trallatitius vsus* Attamen ad sanitatis quoque tutelam amplum & & necessarium præceptum aperuit: Nota sunt enim incommoda quæ nimia vigilia & somnus immoderatus in mentem & corpus inducunt.

Vsus proprius. Quocunque ergò in statu à moderatione recesserint, coërcenda erunt per conuenientia artis præsidia, quæ varia erunt pro diuersitate causarum à quibus oriuntur.

Porro quamuis Somni & Vigiliarum immoderatio semper praua sit, non sequitur eorum moderationem semper esse salutarem: Nam vt suprà notatum est, multis in morbis, vt inflammationibus viscerum & febribus pestilentibus, quemcumque modum habere possit somnus, semper funestus est. Atque hæc fuit causa cur Hipp. Theorema vniuersale de Somni & Vigiliarum quantitate facturus, non illam in moderatione quæ modò praua, modò salutaris est; sed in excessu qui semper malus est, considerauerit.

APHORIS-



APHORISMVS IV.

Οὐ πλησμονὴ, οὐ λίμος, οὐδ' ἄλλο οὐδὲν ἀγαθὸν ὅτι μᾶλλον τῆς φύσιος.

Non Satietas, non Fames, neque aliud quidquam quod naturæ modum excesserit, bonum.



SOMNI & *Vigiliarum immoderatio ad aliarum rerum excessum facilem aperuit viam.* Non quod Hippocrates priorem Aphorismum confirmari voluerit nouis exemplis, vt passim creditur; hoc enim alienum est à methodo Aphoristica quæ sub vna specie comprehendere solet totum genus: Sed vt indicaret inter ea quæ modum naturæ excesserunt, alia esse mala vt Somnus & Viligia, alia non bona, vt Fames & Satietas; quæ enim non bona sunt, possunt esse aut mala aut non mala. Itaut Somnus & Vigilia semper mala sint, si immoderata; Fames vero & Satietas modò mala, modò non mala, nunquam vero bona. Sane in febribus ciborum fastidium aut nimia appetentia, quamuis nunquam bona sint, sæpe nihil afferunt mali; sæpe inter praua signa numerantur. Sic in sanis hominibus

Ordo Aph.

Sensus Aph.

Crapula nunquam laudanda est; aliquando tamen innoxia, sæpe morbum accersit.

Vsus apertus. Quamuis autem ad febres acutas primo destinarit hunc Aphorismum, quasi docere vellet in ijs omnia quæ sunt supra naturam, vitanda esse, præsertim cum morbus vrget, aut natura molitur aliquod opus: nimirum quia cum naturam premat quod supra illam est; si jam afflictæ noui fiat accessio laboris, imparem sub onere fatiscere necesse sit. Certum tamen est ad plura alia illius vsum direxisse: *Vsus occultus.* Nulla enim res est quæ conseruandæ aut restituendæ valetudini conducere possit, quæ huic legi non subijciatur. Verum acri opus est ingenio in perpendenda naturâ vnicuique propriâ, & examine faciendo eorum quæ sunt secundum aut supra naturam. Quam sæpe enim peccatur in vitam hominum ignoratâ æqualitate quæ in diætâ & medicaminibus est necessaria! Sic enim Hippocrates alimentum ἴσον ἴσῳ esse voluit; sic septimo Aphorismo. remedium ad anxietatem, oscitationem, horrorem vinum præscripsit ἴσον ἴσῳ πινόμενον non æquali portioni aquæ permixtum, vt Galenus censuit, sed analogum temperamento, consuetudini, tempori, &c. vt in expositione huius Aphorismi dicemus: Sic supra docuit habendam esse rationem temporis, regionis, ætatis, consuetudinis. Æqualitatem nimirum in omnibus expetit, æqualitatem, inquam, quæ ad naturam & vires spectat: hoc enim est esse secundum naturam; quod vero supra, inæquale est & noxium.

Sed merito quæri potest an quædam regula dari possit pro dignoscenda & comparanda illa

Æqualitate & mediocritate? Poteſt equidem; aliàs vana eſſet & cæca Medicina quæ illam adhibendam eſſe in omnibus iubet: Sed quæ cuncta rerum in quibus expetitur capita comprehendat, & quæ ratione quadam certa & nunquam fallaci nos in illius cognitionem ducat, vix ſtatui poteſt. Nam præterquam quod alia in ſanitate, alia in morbis obſeruanda ſit, nec eadem verbi gratia, in cibis quæ in exercitijs reperiatur; non vnâ menſurâ definiri poteſt, vt pote quæ præſidiorum non ſolum quantitatem, ſed & qualitatem, modum, tempus exhibendi adæquari velit, non alicui hominum generi, ſed propriæ cuiuſq; naturæ: Medicus enim non curat hominem ſed Socratem. hoc autem difficillimum, & ſi vniuerſim decernendum ſit, omnino impoſſibile, cum ſingularium non detur ſcientia.


Multi equidem tentarunt inquibuſdam rerum generibus mediocritatem illam ſtatuere: In cibo quidem ſi nunquam aſſumatur vltra id quod appetitur, vt Auicenna voluit; aut ſi minus ſemper quàm appetitur, vt Hippocrates; aut ſi tantum quantum coqui poſſit, vt Celſus. Verùm mutilæ ſunt & fallaces eiuſmodi normæ; nam ad ſolum hominem temperatum pertinent & vnicam ciborum quantitatem definiunt, cum tamen in illorum qualitate modus non minori curâ obſeruandus ſit. ſane lædetur Bilioſus ſi aſſumat minus quam appetit; Melancholicus ſi tantum quantum appetit; multa etiam ſunt noxia quæ facillime coquuntur.

Exercitiorum vero moderatio quam in laſſitudine citra defatigationem & in copioſi ſudoris effluxu poſuerunt, eaſdem patitur difficultates:

nam ad solos etiam homines temperatos spectat, cum amplius debeat esse exercitium pituitosis, parcius biliosis, minimum vero & sæpe nullum ætate aut morbo fractis. Eademque est ratio aliarum rerum quæ ad victum necessariæ sunt, harum enim mediocritas vniuersali quadam lege designari vix potest.

Et si vlla sit quæ propiùs rem attingat, ea est quæ ab εὐφορία petitur: Æqualia enim & congrua naturæ illa esse par est, quorum vsus confert & facile toleratur. Nullaque res est ad valetudinem spectans, nullusque vitæ status, cui illa regula adhiberi non possit; cum ad cibos, aërem, venerem, medicamenta, temperamenta, humores & cætera tam naturalia quam non naturalia pertineat, valeatque in iuuene & sene, in quolibet temperamento, in sanis & ægrotantibus; itavt in his præsidiorum vtilitatem solâ hac εὐφορία metiri voluerit Hippocrates.

Attamen nec huic semper fidendum est, cum sæpe consuetudo eam fallacem reddat: assueta enim licet deteriora leuius feruntur quam insueta meliora, vt notatur Aphorismo 50. aut talia esse possunt vt tandem naturam peruertant & morbos accersant; Et sæpe vitiatus appetitus praua concupiscat eaque per aliquod tempus facile toleret, quæ postea perniciem allatura sunt. Itaque hîc vt in cæteris artis operibus consulenda est exactissima illa prudentia quæ omnia circumspicit, & quæ ad singulas rerum conditiones, & propriam cuiusque naturam præcepta generalia semper reuocat.



APHORISMVS V.

Κόποι αὐτόματοι φράζουσιν νούσους.

Laßitudines ſpontaneæ prænunciant morbos.

PROPOSITA *obſeruatione rerum quæ ſupra naturam ſunt, facillime ſubijt recordatio laſsitudinis ſpontaneæ,* quæ ab humoribus modum naturæ ſuperantibus naſcitur. Si enim ſola quantitate peccant, fit laſſitudo tenſiua; ſi qualitate, vlceroſa; ſi vtrâque, phlegmonoſa: omnes autem prænunciant morbos quia plethoram aut cacochymiam arguunt omnium fere morborum parentes. Tenſiua quidem in apoplexiam per φλεβῶν ἀπόληψιν, aut in febres malignas corrupto ſanguine facile tranſit; vlceroſa, bile in artubus hærente, vlcera aut arthritidem, in venas recurrente febrim, in inteſtina colicam generat; phlegmonoſa vero omnium peſſima acutiſſimas febres citiſſime accerſit. *Ordo Aph.* *Senſus & Ratio Aph.*

Quamuis autem ad ſpontaneam laſſitudinem contracta ſit hæc prognoſis, poteſt tamen extendi ad alias quæ motibus corporis ſuccedunt: Si quis enim ex leui labore in vlceroſam aut phlegmonoſam *Vſus occultus.*

inciderit, ei iuſtus debet eſſe metus ne in morbum labatur, cum neceſſe ſit magnam latere in corpore cacochymiam quæ ex paruo illo conatu hæc ſymptomata excitauerit: Itavt vere dici poſſit non eſſe quidem laſſitudinem ſpontaneam, ſed ſpontaneæ laſſitudinis adfuiſſe cauſam, & idem quod ab illa timetur inſtare periculum.

Vſus trallatitius. Verum neque ad ſolam laſſitudinem eſt cohibendus hic Aphoriſmus; ſub vno enim exemplo complectitur omnes alias affectiones ſponte natas quæ cacochymiam aut plenitudinem ſubeſſe teſtantur: Illæ enim non minus quam ſpontanea laſſitudo indicant proxime affuturos morbos. Huius generis eſt mutatio corporis inſolita non tantum ad peius, ſed etiam ad melius; nimirum cum aut plenius euaſit aut emarcuit; cum colore floridiori micat aut pallore decoloratur; cum ſomno premitur grauiori, aut conſumitur vigiliis, cum oculi cum dolore vertuntur, venæque intentæ mouentur circa frontem; cum frequens adeſt horror, aut ſudor, aut oſcitatio; cum marcet animus & ſenſus hebeſcunt. Adde his inſomnia ab Hippocrate obſeruata; & quæ ſyneſiana vocantur, hoc eſt vnicuique propria, quibus futurorum morborum aliquis ſenſus haberi poteſt.

Vſus proprius. Cum ergo hæc omnia prænuncient morbos conſequens neceſſarium eſt, cauſas eorum ſtatim eſſe amouendas, idque maioribus remedijs, ſi magnus inde immineat morbus: At vero ſi aliquid obeſt quominus generoſa illa medicamina in vſum veniant, aut minoris momenti videatur affectio, expugnanda erit diæta conuenienti. Neque enim, vt vulgus putat, Ars Medica, ita vel

inops eſt vel auſtera, vt ſolis illis ſeuerioribus remedijs vtatur ad ſanitatis tutelam; ſed clementiora ſæpius in vſum vocat non ignara naturâ naturam ſeruari. Huius rei fidem fecit Hippocrates eleganti illo libello quem de inſomnijs inſcriſpit, vbi ſolâ diætâ occurrit quibuſlibet impendentibus morbis, ſi duo aut tria loca excipias in quibus veratrum præſcripſit.



APHORISMVS VI.

Ὁκόσοι πονέοντές τι τοῦ σώματος τὰ πολλὰ τῶν πόνων οὐκ αἰσθάνονται, τουτέοισι ἡ γνώμη νοσέει.

Quicumque parte aliqua corporis dolent & dolorem vt plurimum non ſentiunt, ijs mens ægrotat.



Laßitudine quæ ſpecies quædam doloris ad dolorem facilis fuit tranſitus. πόνος tamen hîc ſignificat laborem, non vero dolorem aut doloris cauſam, vt paſſim creditur: Plures enim ſunt affectiones quæ quia non ſentiuntur, arguunt mentis errorem, in quibus nec dolor, nec cauſa doloris ſubeſt. Sic cum in febre ardenti ventriculus laborat à cauſa ſitifera,

Ordo Aph.

Senſus Aphoriſ.

nec tamen percipitur ſitis, læſæ Rationis indiçium eſt; attamen nec dolorem nec cauſam doloris pati ritè diceretur. Labor ergo latius patet quam dolor; tum quia partes laborare poſſunt quæ numquam dolent; tum quia non ſolum ſignificat dolorem & cauſam doloris, ſed etiam quemlibet affectum qui ſenſu percipi poteſt. Qui ergo aliqua parte corporis laborant, & laborem τὰ πολλὰ non ſentiunt, ijs mens ægrotat. Vbi animaduertenda vis illorum verborum quibus maximè huius ſententiæ veritas innititur: Omnibus enim qui laborum ſenſu priuantur, mens non ægrotat, vt paralyticis & moribundis, quibus extincta eſt vis ſenſifica; ſed ijs ſolum quibus integra eſt ſenſuum poteſtas, qua tamen non vtuntur Rationis vitio. Diſcrimen itaque amborum facturus Hippocrates addidit τὰ πολλὰ *ſæpe, vt plurimum*: Illi enim numquam labores ſentiunt, hi vero ſæpe non ſentiunt; diſtracta enim aliò mens non aduertit paſſionem in ſenſibus factam, niſi ex interuallis cum ad ſe paululum reuocatur: Nimirum nulla eſt adeo vehemens mentis alienatio in qua partium afflictarum ſenſus aliquando non redeat & reditus ſui aliqua ſigna non promat.

Ratio Aph.

Vſus occult.

Quicquid ſit duplex eſſe poteſt vſus huius Aphoriſmi: Vnus quidem in præcautione de facultate principe habenda; cum enim incipiunt deliria, vel cum fugacia ſunt, ſæpe mens ita videtur ad ſpeciem ſapientiæ compoſita, vt nullius erroris conſcia videatur, adeo vultus verbaque conſtant. Eo ergo tempore quo quis minus eſſe poſſet de illa ſollicitus, ſi aliqua pars laboret nec læſionem percipiat, ſignum eſt certiſſimum principem illam faculta-

facultatem esse in vitio, illique statim prouidendum ne in peius ruat: hæc autem intelligenda sunt vbi acutior dolor non obscurat minorem, vt notatum est Aphorismo 46.

Alter est vt pars illa quæ laborat, licet nullam ægro moueat querelam, neglecta sine auxilio minimè deseratur; sed causa laboris huic infixa oppugnetur, & perpensis symptomatibus quæ licet ob errorem mentis non percipiantur, huic tamen causæ necessario assident, maturè conuenientibus remedijs occurratur: sic phrenetici quamuis de siti non conquerantur, quia tamen causa sitifera præsens est & vrget, cogi debent ad potum: & sic de aliis. *Vsus 2.*



APHORISMVS VII.

Τὰ ἐν πολλῷ χρόνῳ λεπτυνόμενα σώματα νωθρῶς ἐπανατρέφειν δεῖ· τὰ δὲ ἐν ὀλίγῳ ὀλίγως.

Quæ longo tempore extenuantur, lente reficere oportet, quæ breui, breui.



VM extenuatio fit in ordine rerum quæ modum naturæ excedunt, prudenter Hippocrates hunc Aphorismum subiunxit superioribus qui de eodem argumento tractarunt. Tum quia post enarrata symptomata quæ à plenitudine *Ordo Apho.*

oriuntur, quales ſunt laſſitudines, ad ea quæ ab inanitione fiunt, facilis erat deſcenſus. Quicquid ſit docet longo tempore extenuatos lente eſſe reficiendos.

Senſus Aphoriſ.

Ratio Aphor.

Cuius rei vna cauſa eſt infirmitas partium ſolidarum ab exhauſtu quem longi morbi efficiunt. Cum enim illis inſideat facultatum naturalium ſubſtantia, diſſolui non poſſunt quin ſimul vis concoctrix imbecilla fiat, quæ proinde impar eſt cibis ad citam refectionem neceſſarijs. Valet quidem hæc ratio in plurimis morbis, ſed non in omnibus: nam cita refectio locum habet in febribus quibuſdam colliquantibus in quibus conſtat partes ſolidas exhauſtas eſſe; contra in quartanis & diſtillationibus longis, vbi hæ integræ ſunt, cita reparatio prohibetur: Deinde multa ſunt alimenta facillimæ coctionis, vt oua aliaque id genus, quæ à debilitatis illis partibus confici poſſent.

Altera ergo & fortaſſis præcipua & adæquata huius rei cauſa, eſt ſubſidentia & occluſio pororum per quos ſuccus nutritius traijcendus eſt; longo enim otio immemores facti ſui muneris & ſiccitate ſenſim contractâ tabeſcentes concidunt & quodammodo coaleſcunt, vt gulæ, ventriculo & inteſtinis accidit ex longa inedia: Illi autem ita conſtituti emolleſcere, recludi & ad priſtina officia redire non poſſunt, niſi longo temporis tractu.

Itaque ſi multi cibi tunc exhibeantur, cum non poſſint in ſubſtantiam partium abire ob denegatum tranſitum, reſtagnabunt in venis & tandem incaleſcent & corrumpentur: non enim reficit quod ingeritur, ſed quod digeritur. Senſim ergo & paulatim Reparatio procuranda eſt, alimentis primum liqui-

Vſus apertus.

dis, vt lentâ irrigatione meatus emolliantur & aperiantur; & coctu facilibus, vt negotium imbecillæ facultati non facessant.

Cum autem Reparatio non solis alimentis fiat, sed alia etiam diætæ instrumenta ad eam promouendam necessaria sint, vno hôc pro cibis allato præcepto, docuit eandem cautionem esse seruandam in vsu aliarum rerum in quibus lentus ille progressus institui potest, vt aëre, exercitijs, studiis, alijsque eiusmodi: neque enim longo morbo extenuatus, illis se statim credere, sed gradatim & moderate, ijsque moderatis vti debet: Cauendo præsertim ea quæ vires dissipare aut siccam intemperiem augere possunt: cuiusmodi sunt cœli status calidior aut frigidior, acriores corporis & animi motus, purgationes validiores, somnus longior, ira, moeror, venus, &c. *Vsus tralatitius 1.*

Hanc porro sententiam quæ tota est pro conualescentibus, ad ægros transferri posse existimo. Itaut certum sit eâdem viâ eundem esse in curatione morborum diuturnorum qua itur in renutritione corporum longo tempore extenuatorum. Nec enim credendum est breui curatum iri morbos qui sensim & lento progressu creuerunt; sed æquo pede ad exitum peruenturos quô ad statum peruenere. Itavt cum artis institutum sit naturam sequi; hæc autem eiusmodi morbos non impetu aliquo vnoque insultu, sed quasi per obsidionem & cuniculos oppugnare soleat: Ars quoque non debet expectare, aut spondere illorum solutionem ab vno aut altero remedio, sed longâ variaque medicaminum serie eos aggredi: Non tamen continenter, sed inducijs per interualla naturæ con- *Vsus tralatitius 2.*

ceſſis ; nam cum morbi longi aut à pertinaci materia, aut ab imbecillitate partium ducant originem ; non poteſt domari contumacia humoris, nec robur partibus reſtitui, niſi longo temporis tractu & variâ quietis & remediorum alternatione.

Senſus Ratio. Quod ad ſecundam partem Aphoriſmi, in qua docet citam refectionem deberi cito extenuatis, cauſa eſt quia natura vult damna ſua ſtatim reſarciri, nihilq; eſt quod illius vota moretur; facultates enim ſunt validæ, liberi meatus, & quod deperditum eſt, cito poteſt reſtitui. In acutis enim exhauſtum fit in ſolis ſpiritibus & humoribus intactâ ſolidarum partium ſubſtantiâ, aut ſi ad illas vſque peruenerit, vt in febribus colliquantibus accidit aliquando, poros tamen relinquit patentes, & liberum commeatum ſuccis nutritijs ; breui enim contracta illa ſiccitas non ſinit illos meatus occludi & coaleſcere.





APHORISMVS VIII.

Ἢν ἐκ νούσου τροφὴν λαμβάνων τις μὴ ἰσχύει, σημαίνει ὅτι πλεόνι τροφῇ τὸ σῶμα χρέεται· ἢν δὲ τροφὴν μὴ λαμβάνοντος τοῦτο γίνεται χρὴ εἰδέναι ὅτι κενώσιος δεῖται.

Si è morbo cibum aſſumens non confirmatur pluri alimento corpus vti ſignificat; quod ſi non aſſumenti id accidat ſcire oportet quod vacuatione indiget.



NIHIL *propius attingit refectionem conualeſcentium quam robur & infirmitas ijs adueniens ex alimento aſſumpto, & forte his ſignis voluit diſcernere legitimam reparationem ab illegitima.* *Ordo Aph.*

Si verbis autem quibus texitur hæc ſententia, natiuus detur ſenſus, vix ſtare poterit illius veritas, nec ipſa Hippocratis ſolertia. Nam quamuis aſſumenti cibum non reſtitui robur id fere inſolens ſit; nihil tamen mirum ſi non aſſumenti minimè reſtituatur; quî enim fieri poſſet ſine alimentis? tantumque abeſt, vt hic vacuatione indigeat *Senſus Aph.*

quin potius omnis cura adhibenda est, vt repleatur. Quamobrem Galenus subintelligi voluit appetitum, quasi dicat Hippocrates. Qui bene cibum appetit, & iustâ vt videtur quantitate illum assumit, si vires non recuperet, pluri alimento vti necesse est; qui vero non appetit, purgatione indiget. Verum hæc interpretatio, præterquam quod vim facit vsitatæ verborum potestati, non omnem tollit de rebus scrupulum. Nam si quis boulimiâ laborans non corroboratur cibis, quamuis eos appetat, iustumque in ijs adhibeat modum, indiget hic vacuatione, non substractione alimentorum. Contra cui appetitus omnino dejectus est à refrigerato ventriculo, illi funesta esset catharsis quæ languentem ventriculum prosterneret, & reliquias caloris natiui dissiparet. Non explet ergo sensum præceptoris hæc explicatio, quantumuis ad appetitum naturalem coerceatur, quomodo Galenum excusari volunt: Licet enim eo sensu vera sit prior pars Aphorismi, falsa tamen est posterior, in qua priuatio appetitus omnino præter naturam est à causa morbifera; naturalis enim à sola satietate procedit.

Dicendum ergo τροφὴν quæ apud Hippocratem duplex est sicca & humida, hîc intelligi debere de priori quæ propriè dicitur Cibus. Hoc enim solemne est Hippocrati, frequentemque habet vsum in philosophica & communi ratione loquendi vt nomen generis ad speciem nobiliorem coerceatur. Fauietque huic conjecturæ eadem fere propositio Aphorismo 31. & in Coacis allata, vbi pro λαμβάνων τροφὴν legitur εὐσιτέων & εὔσιτος, quæ voces certissimè ad σιτίον suam referunt ori-

ginem & poteſtatem : σιτίον autem alimentum ſolidum eſt, Et εὐσιτία quæ immoderatus eſt ciborum appetitus, in ſolidis exceſſum deſignat non in humidis. Eadem loquendi norma vſus eſt multis in locis vt 7. Aphoriſmo 62. ἢν τις τῷ πυρέσσοντι τροφὴν διδῷ, τῷ μὲν ὑγιαίνοντι ἰσχὺς, τῷ δὲ κάμνοντι, νοῦσος. Non enim omne genus alimenti interdicit febre correptis, ſed ſolidum tantum: Et expreſſè lib. de locis in homine, permittit ſorbitiones & potus, vrgente calore poſt febrim, cibos vero vbi ille euanuerit.

Senſus itaque Aphoriſmi talis eſt. Si cui à morbo cibos ſolidos aſſumenti corpus non confirmatur, copioſiori alimento vti ſignificat: ſi vero non aſſumenti & ſolis ſorbitionibus quemadmodum in morbo conſueuerat, vſo idem accidit, vacuatione indigere ſciendum eſt. Nam primum arguit imbecillitatem ventriculi qui non poteſt coquere duriores illos cibos; ſecundum indicat cacochymiam quæ corrumpit alimenta coctu facillima: In illo victus ratio ſtatim mutanda eſt, in hoc catharſi eluenda cacochymia. *Ratio Aph.*

Verum quamuis verba Hippocratis ad exactam libram perpenſa alium ſenſum minimè patiantur; transferri tamen poſſunt ad mentem Galeni; cum etiam certum ſit eos qui bene ſe habente appetitu cibos aſſumunt nihil inde proficientes, vt plurimum pleniore vti victu: Eos vero quibus cum dejecta appetentia idem accidit, purgatione indigere. Vtrobique enim indicium eſt vires non ſufficere coctioni vel fædari ſanguinem cacochymia. Vires quidem non ſufficiunt vel ab intemperie aliqua fractæ vel à copia ciborum oppreſſæ. *Vſus apertus.*


Cacochymia vero vel à prægreſſo morbo relicta eſt, vel nata à calore imbecillo qui non potuit dominari ſuccis, aut à vitio alicuius partis humores corrumpentis.

Vſus occult. proprius. Vt ergo periculum recidiuæ quod ab eiuſmodi affectibus inſtat, declinetur, innuit cibos ſtatim ſubſtrahendos, & impuritatem purgatione ſoluendam. Non tamen id ita accipiendum eſt, vt catharſis non ſit etiam ex vſu in pleniori victu; vix enim fieri poteſt vt vires obrutæ à copia alimentorm non generent prauos ſuccos qui pharmacis vacuari debent: ſed vrget indicatio ſubſtrahendi cibos quæ ſola ſæpe poteſt curationi ſufficere.

Vſus tralat 1. Traduci etiam poteſt ad Medicamentorum rationem, itavt quemadmodum alimentis rite aſſumptis non confirmari corpus malum eſt; Ita qui iuſtis vſus remedijs nec morbum decedere, nec leuari ſe ſentit, malo loco poſitas res ſuas eſſe ſciat. Verumetiam quemadmodum illic nullum præſtantius auxilium inſtitui poteſt quam alimentorum ſubſtractio; Ita in morbis poſt longum medicaminum vſum, nihil vtilius aliquando decerni poteſt quam iuſtitium aliquod & medicæ velut induciæ, in quibus Medicus per aliquod tempus ferietur, vt natura morbo & medicamentis laſſata recreari poſſit. Vidimus enim ſæpe ægros vacatione hac per impatientiam, aut deſperationem quæſitâ, defunctos morbis qui omnem artis opem eluſerant, & infames feciſſe Medicos qui non nouiſſent hanc Medicinæ legem quæ à medicina aliquando abſtinendum iubet.

2. Pertinet etiam ad ſanos, quibus ſi plenior vel moderata diæta, nec robur, nec molem addat, ſignum


gnum eſt fœdari ſanguinem prauis humoribus, inutilemque reddi ad nutritionem. Quare illi diætam accidere debent, ſi copia ciborum ſit cauſa fœditatis; vel purgantibus & neoteriſmo viſceribus prouidendum.



APHORISMVS IX.

Τὰ μὴ καθαρὰ τῶν σωμάτων ὁκόσον ἂν θρέψῃς, μᾶλλον βλάψῃς.

Jmpura corpora quo plus nutrias, eo magis lædas.



AVSAM *affert cur conualeſcentes, qui non confirmantur ex alimentis coctu facilibus, vacuatione indigeant*; nimirum quia illis corpus impurum eſt; impuritas enim purgatione elui debet, alioqui quò plus nutrientur, eò magis lædentur. Quamuis autem Aphoriſtica breuitas excludat rationes quibus innituntur artis decreta quæ inſtar legum imperare non ſuadere debent; ſolet tamen Hippocrates eas adducere vbi aliquid prætereа docent & ad alios vſus conferunt. Cuiuſmodi eſt præſens ſententia quæ non tantum ad conualeſcentes de quibus agebatur, ſed etiam ad Ordo.

D

ægros & sanos spectat; neque ad vnam alui impuritatem quæ maximè pro cibis obseruari debet, vt præstitit Gal. hoc loco, sed ad omnem aliam in venis & habitu corporis hærentem: nam in his omnibus certum est eo magis lædi impura corpora quo plus nutriuntur. Cum enim inquinentur ingesti cibi à latente illuuie, hæc maior fit nouæ illius fœditatis accessione, & corpus redditur debilius succi alibilis inopiâ: Humores enim praui, vt ait Hippocrates quarto de morbis, intus corrumpuntur & depascuntur proxima quæque ex bonis, donec omne vitæ alimentum putridus calor absumat.

Sensus Ratio.

Vsus proprius.

Proposito autem periculo quod à corporum impuritate alimentis impendet, relinquit conijciendum quid opus facto sit; nempe eam esse corrigendam. Verum vt id conuenienter & consulto fiat; Obseruandum multiplicem esse impuritatem, vnam quidem alui, aliam venarum, aliam totius habitus; vnamquamque vero aut in sanis aut in ægrotantibus reperiri.

Quæ in Sanis, aut est permixta adhuc vtilibus succis, nullas sui notas præbens; Aut incipit secerni, vt ea quæ tacitum mœrorem aut lassitudinem aut insomnia praua excitat; repletione enim intus factâ, vt ait præceptor, libro de insomnijs, secretio quædam contingit quæ animam perturbat: Aut denique secreta omnino est, remanetque aut in aluo, aut in venis, aut in habitum corporis propellitur. Prima quidem vt sese minimè patefacit, ita neque sui curam expostulat. Secunda diætâ fere solâ emendatur, vt docuit Hippocrates citato lib. Tertia denique si in aluo fluctuet, solâ

fere catharsi ; si in venis, diætâ & purgatione ; si in habitum corporis tota eiecta sit, tuta est cibatio; si pars aliqua adhuc hæreat in visceribus, quod ostendunt excrementa biliosa, tunc purganda erit, vt notatum est Aph. 19.

At vero in morbis præsertimque in febribus cura auferendæ impuritatis pro alimentorum opportunitate, cautiora exigit consilia; nec enim quælibet, nec quolibet tempore, nec quouis modo securè tolli potest. Nam quæ in venis & habitu corporis latet, nunquam est tentanda medicamentis, nisi inclinato iam morbo, aut nisi materia turgeat vel vrgeat, vt fusiùs Aphorism. 29. declarabimus. Quæ vero aluinam regionem fœdat, ea sola est quæ locum dat medicinæ, primis morbi temporibus: adhibito tamen singulari illo iudicio quod in eiusmodi negotio expetit Hippocrates; hoc est si certa habeatur coniectura humores medicamento cessuros, nec adsit suspicio vlla phlegmones internæ aut futuræ hypercatharseos: sunt enim quædam naturæ quę ex leui quolibet pharmaco in illam incidunt. Si ergo bilis restagnet in ventriculo, poterit ipso morbi initio statim euacuari, siue per vomitum, siue per deiectionem: cum enim idem sæpe natura vtiliter moliatur, ineuntibus morbis & paroxysmis, potest idem & arte perfici; idque maiori fiduciâ nostris temporibus quam antiquis, ob magnam illam supellectilem leuium catharticorum quibus veteres caruisse certissimum est. Ratio autem propter quam ea vacuatio tunc sit necessaria non alia est quam quæ supra allata est, & ab Hippocrate indicata. Cum enim virium conseruatio cibos expectet,

officina vero ciborum succis impuris fœdata sit, quoscumque hæc acceperit, eâdem labe inficiet, vnde maior assurget morbus auctâ illuuie & cadent vires laudabilis succi penuriâ.

Trallatitius. Porro non ad solos cibos contrahendus est hic Aphorismus, pertinet enim ad alias etiam diætæ partes & præsertim ad exercitia; nam monuit Hippocrates 6. epid. non esse exercendos ἀκαθάρτους impuros, ne vlcera fiant, & Gal. 3. Aph. 20. præterea illis timendam esse epilepsiam, aut apoplexiam ab exercitatione, quæ commouet vitiosos humores & ad partes nobiles aut ad cutem illos pellit, vnde mala supradicta oriuntur.



APHORISMVS X.

Τὰ σώματα χρὴ ὅκου ἄν τις βούληται καθαίρειν εὔροα ποιέειν.

Corpora cum quis purgare voluerit fluida facere oportet.

Ordo. Sensus.



CVM *impura corpora purganda veniant, vt alimentis refici possint, monet obiter antequam id tentetur, ea fluida effici debere.* Nam vt legitima fiat catharsis humores & corpus ad eam præparari debent; humores quidem concoqui, vt docuit primo Aphorismo 22.

Vsus proprius.

Corpus vero meabile & fluidum fieri. Vt autem reddatur meabile duo sunt necessaria, primum vt natura cedat medicamento; secundum vt viæ fiant liberæ: Medicamento cedet natura, si hæc quiete & cibo recreetur; nam præterquam quod humores cibo & potu diluti effluunt liberiùs, prouidetur viscerum vacuitati quæ vna est è causis quæ purgationem interturbant, lib. de hum. inanita enim viscera medicamentum alliciunt & attrahunt, vnde imperfecta sequitur catharsis. Quod vellem annotari à nostris practicis qui inediam præscribunt vesperi ijs quos postridie purgaturi sunt; nam quamuis liberalis cæna non sit illis permittenda, ne ventriculus repletus pharmacum minimè sustinere possit; non omnino tamen interdicenda est. Præterea medicamentum debet esse ægro & ægritudini analogum; atque ex ijs maximè compositum quæ sunt ὁμοιώτροπα; non quæ pari tempore vires suas exerunt, vt passim creditur, nam sæpe tarda remiscentur rapidis; sed quorum motus fit per easdem vias: quia non sunt permiscenda cathartica sudorificis aut diureticis aut emeticis, vt multis solemne est magno naturæ & artis dispendio. Viæ porro fient liberæ, si laxentur & obstructa reserantur. Ad laxitatem faciunt madefacientia vt diæta humida, balneum, fotus, &c. Obstructis autem auxiliantur, ἐκφρακτικά.

Quemadmodum autem concoctio humorum ad solam catharsim non spectat, sed ad quamlibet euacuationem naturæ vi aut artis decreto perficiendam: Ita etiam censendum est non sola purgantia exigere talem corporis præparationem, sed *Vsus tralatitius.*

quælibet alia euacuantia. Si enim anacatharſis ſit procuranda, aut ſi mouendæ ſint vrinæ, vel ſudores ciendi, eadem omnino methodus ſeruanda eſt, eâdemque cautione corporibus prouidendum: Nam vt ſupra monuimus, in exanthematum eruptione fotum adhiberi iuſſerat Hippocrates: ſic in menſtruis euocandis vtimur aperientibus, balneo, venæ ſectione: imo in hac ipſa phlebotomiâ robur naturæ præſertim expetitur & primarum viarum libertas. Alioqui ſi imparato corpori eiuſmodi medicamina adhibeantur, excretiones nec votis naturæ, nec remediorum conatibus reſpondebunt, agitatique humores & intus repreſſi priora augebunt ſymptomata, vel noua ingerent; quicquid autem horum euenerit, ſemper negotium faceſſet naturæ, vireſque deijciet.




APHORISMVS XI.

Ῥᾷον πληροῦσθαι ποτοῦ ἢ σιτίου.

Facilius eſt repleri potu quam cibo.

Ordo.

Senſus & vſus 1.




REDIT *ad cautiones reſtaurandi corporis quas intermiſerat purgationis inſtituendæ cauſâ.* Duplex autem eſt vſus huius Aphoriſmi quorum alterum pauci, vt opinor, viderunt: is autem eſt. Facilius eſt πληροῦσθαι reple-

ri potu & liquidis cibis; quia æquâ mole hi mul-
to præponderant solidis alimentis, & si nutritium
succum ferant plus quoque alant. Vnde hæc ad
diætam norma deducitur. Cauendum esse ne ma-
gnâ aut frequenti sorbitione ventriculus opprima-
tur; cum enim illa ob fluiditatem facile ingera- *Ratio*
tur, & pondus superet molem, facile etiam pote-
rit obruere aluum vi morbi iam fractam & ab ex-
haustu vel cacochymiâ languidam. Deinde si vi-
ctus tenuis tunc videatur necessarius, facilis fiet
error in vsu liquidorum quæ paruâ mole continent
magnam vim succi alibilis.


Alter est, vt πληρῦσθαι idem sit ac refici & re- *Sensus*
creari; Cum enim chylosis non fiat nisi præuiâ *alter.*
liquefactione & dissolutione ciborum, hi si inge-
rantur liquidi, natura soluta hoc munere quod
maiori operâ perficiendum fuisset, integras vires
impendit in coctionem, statimque distributioni
vacat, vnde cita refectio: Quam adhuc citius
perficiet si alimentum eius sit naturæ vt neque
dissolutionem, neque chylosim exigat, cuius-
modi est pars vini tenuior, tum odores quibus
citissimam fieri nutritionem asseruit Hippocra- *Vsus 2.*
tes. Hoc sensu dato innuere videtur corpora
diuturnitate aut vi morbi extenuata cibis imbe-
cillis & coctu facilibus esse reficienda, si enim
ἴσχυρα vt vocat, & ægre concoquenda assuman-
tur, cito exhaurient organorum nutritiorum vi-
res iam effætas, ægreque concocta tardam di-
stributionem & infelicem partibus appositionem
efficient: humidi autem & liquidi cibi, vt monui- *Ratio.*
mus, cito concoquuntur, facillimè digeruntur, ci- *altera.*
tamque promouent renutritionem. Causam aliam

affert Hippocrates Aphoriſm. 18. quia ſcilicet eorum quæ celeriter nutriunt, celeres etiam fiunt excretiones; & proinde longâ morâ naturam non opprimunt, nec cacochymiam accerſunt: Præſtat ergo eo in caſu liquidis vti quam ſolidis.

Cautio. Verum habeatur ratio temperamenti & conſuetudinis præſertim in conualeſcentibus: Quibuſdam enim iuſcula fluctuanr in ſtomacho & ægerrimè conficiuntur: Quibuſdam obſtructiones pariunt calore viſcerum abſolutam coctionem non expectante & cruda ob fluiditatem facile ſequacia ſtatim arripiente. In ijs ergo ciborum conſiſtentia ſic debet attemperari vt conſulatur infirmitati facultatis concoquentis, & ægri temperamento & conſuetudini: Paulo enim deterior cibus modo ſuauior, meliori minus ſuaui eſt anteponendus Aphoriſmo 37. Et earum rerum quarum inueterauit conſuetudo, quamuis illæ deteriores ſint, minus tamen inſuetis male afficiunt Aphoriſmo 50.



APHO-



APHORISMVS XII.

Τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα ἐν τοῖσι νούσοισι μετὰ κρίσιν ὑποστροφὰς ποιέειν εἴωθεν.

Quæ relinquuntur in morbis post crisim recidiuas facere solent.

DOCVERAT *impuritatem in conualescentibus impedire nutricatum: Addit jam & recidiuam facere, quasi hæc sit altera causa cur expurgari debeat.* Quamuis autem hæc fuerit ratio decernendæ huius prognoseos, quia tamen impuritas relicta à crisi, non vnica est causa recidiuarum, aliasque voluerit Hippocrates vno Theoremate comprehendere, latiori vocabulo vsus est ἐγκαταλιμπανομένων. Reliquiæ enim morborum quæ reuersiones facere solent, duplicis sunt generis, aliæ in humoribus, aliæ in sola diathesi prauâ consistunt: Licet enim nulla cacochymia supersit, eaque per crisim tota fuerit elisa, sæpe remanet in corpore praua dispositio quæ priorem affectum reuocat nouo impuritatis prouentu facto, vt fit in morbis à materia oriundis; aut prauâ qualitate viribus auctâ, vt accidit aliis

Ordo. *Sensus.* *Ratio.*

in sola intemperie positis.

Sunt equidem multæ Recidiuarum causæ, externæ, errores nimirum in diæta, & internæ quas ad tria capita reduxit Hippocr. lib. περὶ χυμῶν, ὅταν περιεκκρίνωνται, ἢ περιεκρηγνύωνται, ἢ ἐγκαταλιμπάνωνται. Cum motus critici fiunt præposteri aut irriti, aut cum reliquiæ prioris morbi supersunt. Verum si hæ causæ exacte perpendantur ad sola ἐγκαταλιμπανόμενα omnes reduci necessarium est. Nam quod spectat ad motus præposteros & irritos, recidiuam minantur quia per eos tota morborum causa non expellitur; nihil enim mirum si quod eius reliquitur sensim accrescat & priorem affectum tandem exsuscitet: Præposteros quippe motus natura ciet irritata à materia morbifica quam expellere cogitur ante absolutam coctionem; hinc enim fit vt tota non excernatur & pars crudior remaneat suo tempore nuperum morbum renouatura. Eadem est ratio irritorum motuum vt cum febris soluitur rigore quem nulla aut pauca euacuatio consequitur; retinetur enim noxius humor qui ob contumaciam, aut ob naturæ imbecillitatem excludi non potuit, quique postmodum recidiuæ causa est. Externæ demum causæ supponunt omnes infirmitatem superstitem à priori morbo quæ errores in diæta vix tolerare potest sine relapsu; tum quia generant cacochymiam quæ reliquiarum nomine venire potest, quamuis de nouo producta; remanet enim & relinquitur quæ excerni aut consumi debebat. Itaut verissimum sit Hippocratem omnes recidiuarum causas designasse vno reliquiarum & ἐγκαταλιμπανομένων nomine.

Verum in sola hac prognosi non stetit mens Hippocratis; multa alia prospexit non minoris vsus: Nam vt notauimus supra, singuli Aphorismi præter id quod signatè docent, sunt veluti notæ quibus aliarum rerum eodem spectantium recordatio excitari debet. Hîc itaque proposito periculo quod à reliquijs morborum instat, tacite monuit inquirenda esse signa quibus dignosci possint & præsidia quibus ijs prouideri oporteat. Frustra enim sciretur recursum morbi pendere ab eiusmodi causis, nisi earum notitia haberetur, & quod præcipum fuit Hippocratis institutum in hoc Aphorismo, nisi Arte medica amouerentur. *Vsus occultus.*

Signa autem eiusmodi sunt sitis, oris siccitas, ciborum fastidium, vigiliæ, somni turbulenti, lassitudo totius corporis, febris discessus sine signis iudicatorijs, die non critico, quod est προεκκεκριμένα, aut citra manifestam, aut iustam euacuationem quod προεκρηγνύεται; vrinæ suppressæ ante iudicationem 4. epid. aut quæ crudæ postea remanent: addit etiam Hippocrates eodem lib. sputum præmaturum, ventrem, intemperiem. Sputum quidem non vere concoctum, sed saliuam à calore superstite incrassatam; per ventrem vero intelligit tumores alui à morbo relictos, aut imperfectas euacuationes: Et 6. epid. s. 8. tumores in palpebris superis remanentes, alijs externatis; nimirum eæ partes intumescunt vbi corpora vitiosis succis abundant aut coctiones male peraguntur.

Cum itaque his signis coniectura habetur de reliquijs morbi, tunc facto prognostico jis radicitus euellendis incumbendum erit. Praua quidem diathe-

ſis alterantibus potiſſimum expugnabitur; Impuri vero humores euacuantibus, idque per loca & remedia conſentanea, iuxta corporum propriam naturam, ſpecies humorum, & regiones quas infeſtant. Non enim ſola cathartica, vt ſæpe monuimus, ſunt in vſum vocanda ad reliquias illas morborum exhauriendas, ſed modo ſudorifica, vt in ſiphylide, modo divretica, vt in lienoſis & in alijs quibuſdam affectibus, modo alia diuerſi generis medicamenta decernuntur.

Cautio. Verum in ijs omnibus hæc cautio ſemper adhibenda, vt neceſſitas remediorum accurato examine perpendatur: niſi enim hæc nimis vrgeat, quies per aliquod tempus concedenda naturæ quæ eiuſmodi reliquias ſola plerumque diſcutit & morbo prægreſſo laſſata, remediorum laborem deinceps recuſat. Sic EMPYREUMA quod febres ſæpius conſequitur, vel leues illæ dyſphoriæ quæ aliquando poſt criſim relinquuntur, non debent ſtatim maioribus remedijs tentari, ſed data quiete & victu, vt decet præſcripto, videndum quid poſſit natura & vtrum ijs ſola ſufficiat, vel maius aliquod expectet auxilium.





APHORISMVS XIII.

Ὁκόσοισι κρίσις γίνεται τουτέοισι ἡ νὺξ δύσφορος ἡ πρὸ τοῦ παροξυσμοῦ, ἡ δὲ ἐπιοῦσα εὐφορωτέρη ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.

Quibus crisis fit, ijs nox grauis ante accessionem, quæ vero subsequitur magna ex parte leuior.

FACTA *superius mentione crisis, illius proximè affuturæ signa iam proponit, siue quia rerum inter se connexarum altera alterius memoriam facile reuocat; siue quia cum asseruisset recidiuas fieri à superstite cacochymia post crisim, necessarium erat discernere euacuationes criticas à symptomaticis, easque perfectas ab imperfectis; quod tribus sequentibus Aphorismis exequitur.* Ordo.

Hîc ergo monere videtur eas euacuationes esse Criticas quæ sequuntur perturbationem crisis prænunciam; esse vero perfectas quas excipit magna tranquillitas & εὐφορία. Perturbatio autem illa solet nocte præcedente crisim animaduerti in somni turbulentiâ, delirio, anxietate, dyspnœâ, nauseâ alijsque eiusmodi symptomatis de repente Sensus

Ratio. ſubortis. Cum enim natura ſecernat humores noxios eoſque è venis propellat, illi prout in tranſitu ad varias partes appellunt, varia etiam inducunt ſymptomata, quæ toto hoc tempore ægrum vexant & noctem illi grauem & moleſtam reddunt: fugato vero penitus hoſte omnia conquieſcunt & nox ſubſequens placide tranſigitur. Niſi forſan vt ſæpe fit, relicta ſit à difficiliori pugnâ laſſitudo quæ tranquillitatem illam obſcuret per aliquod tempus: hoc enim indicauit Hippocrates per ἐπὶ τὸ πολὺ. Nox autem illa quæ paroxyſmum præcedit, in exemplum poſita eſt, non enim ſemper noctu perturbatio illa critica ſuperuenit, ſed etiam interdiu, ſi nimirum criſim nox excipere debet.

Meminit autem noctis potius quam diei, non quod criſis frequentior fiat noctu, vt aiunt, ſecus enim euenire comperitur; & fieri debet vt rata maneat Aphoriſmi veritas. Nam ſi nox moleſta præcedit criſim, criſis non fiet noctu, ſed die ſequenti. Sanè cum in febribus acutis ſoleat criſis circa eaſdem horas erumpere quibus morbus inceperit, illa interdiu fieri debet cum prima acceſſio febris ſequatur bilis motum qui meridianis horis vt plurimum ſeſe oſtendit.

Præter hanc obſeruationem qua totus Aphoriſmi ſenſus apertus conſtat; multa alia præcepta hîc recondita ſnut.

Vſus occultus. 1. Primum eſt, ne omnia quæ ægris ſuperueniunt ſymptomata, licet difficilia medicum conturbent, cum magna pars illorum excitetur à natura ſeſe ad criſim accingente & velitatione illâ cauſas morbificas tentante. Hoc autem dignoſci facile

poterit dierum criticorum & indicantium obseruatione: Nam si coctionis certa præcesserint indicia, instetque iam dies crisis, expectanda sunt etiam symptomata quæ præcurrere solent eiusmodi impetum, quæque imperitis incutiunt timorem, peritos vero spe statim affuturæ victoriæ consolantur.

Secundum est, Vt eo tempore quo hæc tempestas excitatur neque cibos, neque medicamina exhibeamus; auocarent enim naturam ab incepto iam opere & futuram crisim difficilem minoremque quam decet efficerent, vel in aliam diem transferrent, vnde morbi longitudo vel recidiua. 2.

Tertium, si dysphoria nulla appareat ante diem qua crisis expectatur, conijcere debemus naturam tunc nihil molituram & remedijs opportunam fore hanc diem. Verum diligens ratio tenenda est eorum omnium quæ præcessere: Si enim die indicatorio apparuerint signa coctionis & perturbatio illa crisis prænuncia non se proferat, certum est aut morbum ex insidijs agere, aut in ægro commissum errorem; tuncque morbi morem & quid erroris contigerit inuestigare debebus, vt ijs mature prouideatur. At vero si dies indicatoria ἀσήμως sine signis effluxerit, crudum adhuc esse morbum conijciendum est, proindeque eius coctioni incumbendum. 3. *Cautio.*



APHORISMVS XIV.

Ἐν τῇσι τῆς κοιλίης ῥύσεσιν αἱ μεταβολαὶ τῶν διαχωρημάτων ὠφελέουσιν ἢν μὴ ἐς τὰ πονηρὰ μεταβάλλῃ.

In alui profluuijs mutationes excrementorum iuuant niſi ad mala fiat mutatio.



QVAMVIS exiſtiment multi Hippocratem de excretione critica hîc loquutum, ſignumque dediſſe quo poſſimus cognoſcere, an dum criſis adhuc fit, futura ſit perfecta vel imperfecta: Conijcio tamen mutationem illam τῶν διαχωρημάτων non debere attendi in ipſa criſi, ſed ante illam. *Ita vt aliud ſignum ſit mox affuturæ criſis*: Alterum enim ſuperiori Aphoriſmo continetur, dyſphoria nimirum quæ criſim ſolet antecedere. Cum enim aliquando velitatio illa naturæ cum morbo pugnam ineuntis ſit obſcura vt in alui profluuijs, conueniens erat vt in ijs ſignum aliquod exhiberet à quo criſis præuideri poſſet: Eiuſmodi autem eſt deiectionum mutatio in melius; hæc enim arguit humores noxios ſub naturæ regimen venire

Senſus Aph.

Ratio Aph.

venire, ab eaq; mitigatos tandem expulsum iri. Ratio autem propter quam dysphoria illa crisis prænuncia in eiusmodi profluuijs sæpe lateat, ea mihi videtur; Quod licet illa vi morbi cieantur, deponunt tamen multam cacochymiam quæ intus relicta causas morbificas augeret: hoc ergo pondere leuata natura, quasi elapsâ hostium parte quod reliquum est minori impetu aggreditur. Tum quia alijs in morbis illa dysphoria potissimum oriatur ex conatu naturæ iter sibi facientis & per angustias viarum humores excernendos impellentis; quod quidem hîc non accidit viis iam à morbo patefactis & naturâ primum humorum motum vltrò sequente.

Mutatio porro excrementorum duplex vna in qualitate, altera in substantia, cum scilicet tenuia crassescunt & contra. *παχύνεσθαι δὲ χρὴ τὸ διαχώρημα ἰούσης πρὸς κρίσιν τῆς νούσου.* In qualitate autem cum prauus color in meliorem transit, crisim etiam mox affuturam prænunciat.

Quicquid sit, si Aphorismus intelligendus sit de mutatione quæ fit in crisi, hincque coniectura habeatur eam perfectam aut imperfectam fore: Si perfecta, quiescendum est iuxta normam Aphorismo 21. lib. 1. datam; si imperfecta, reliquiæ sunt exhauriendæ iuxta Aphorismum 12. huius lib. At vero si ante crisim eiusmodi mutatio fiat in melius, & virium adsit alacritas quæ ad iudicationem sufficere possit, totum negotium naturæ committendum; aliàs iuuanda illa est & quo vergit, eo ducenda; concocta enim medicari oportet. Demum si mutatio in deterius facta sit; examinandæ erunt illius causæ & conuenientibus remediis expugnandæ: vel si imparia feritati morbi videantur medi-

Vsus proprius.

camina, iubet ars vt ægri prognoſtico reliquantur; non ſunt enim infamanda præſidia quæ multis auxilio fuere.

Tralla-titius. Porro veritas huius Aphoriſmi non in ſolis alui profluuiis, ſed in omnibus aliis excretionibus ſpectatur, vt ſputis, vomitu, menſtruis, vrinis, vlcerum ſanie, pure &c. In iis enim αἱ μεταβολαὶ τῶν διαχωρημάτων ὠφελέουσι ἢν μὴ ἐς τὰ πονηρὰ μεταβάλλῃ, modo illa mutatio non ſit fugax, ſed aliquo tempore perſeueret: ſigna enim debent eſſe firma & conſtantia vt certi aliquid ſpondeant.

APHORISMVS XV.

Οκου φάρυγξ νοσέει, ἢ φύματα ἐν τῷ σώματι ἐκφύεται, τὰς ἐκκρισίας σκέπτεσθαι, ἢν γὰρ χολώδεες ἔωσι τὸ σῶμα ξυνοσέει. ἢν δὲ ὁμοῖαι τοῖσι ὑγιαίνουσι γίγνωνται ἀσφαλὲς τὸ σῶμα τρέφειν.

Vbi fauces ægrotant, aut tubercula naſcuntur in corpore excretiones inſpicere oportet, nam ſi bilioſæ, corpus vnà ægrotat; ſi ſanis ſimiles, tutum eſt corpus nutrire.

Senſus Aph. LOQVITVR hic de excretione & criſi quæ fit per abſceſſus, indicans occaſionem purgandi aut nutriendi. Si enim ſint

Vſus Aph. impares morbo & naturæ, arte ſupplendum quod

vtrique deficit: Si pares, relictâ pharmaciâ tuta est cibatio. Hoc autem discernit per excrementa, quæ si biliosa fuerint, arguunt totam materiam morbificam in abscessum minime cessisse, sed magnam partem in visceribus adhuc latere à qua morbi longitudo vel recidiua expectanda est, nisi maturè vacuetur. At vero si excretiones sanis similes sunt, indicium est pura esse viscera proindeque tuto corpus ali posse. Dixit autem, sanis similes, quia licet non sint biliosæ possunt esse pituitosæ, quo in casu tuta non est cibatio; Et verosimile est nomine biliosarum excretionum omnes alias vitiosorum succorum redundantias subintelligi voluisse.

Vsus tralatitius. 1.

Porro cum certissimum sit per faucium tumorem Hippocratem, vt sæpe solet, intellexisse quoslibet alios tumores, vt parotidas, bubones, erysipel. &c. Ita coniiciendum est in vno quod adducit indicio, alia multa comprehendere voluisse, neque solas excretiones attendendas, sed alia omnia quibus viscerum constitutio dignosci potest. Sæpe enim accidit vt intus lateat malum, bilemque non prodant excrementa, vt in febribus quibusdam pestilentibus, & manifeste in ictero, si per ἐκχρισίας alui deiectiones intelligat; tantum enim abest vt biliosæ sint, quin potius in vitio sunt, quod bilis omnino sint expertes. 2. 3.

Notandum præterea hunc Aphorismum spectare ad omnes omninò abscessus tam criticos quam symptomaticos, tum quos febris comitatur, tum qui citrà febrim prodeunt, hoc est ad omnes excretiones quæ fiunt vi morbi aut naturæ; sic enim Hippocrates abscessus aliquando intelligit. Ita vt 4.

hic doceat non ſatis eſſe eorum habere rationem, niſi ſimul viſceribus prouideatur. Sæpe enim quæ in cute & ambitu corporis efflorefcunt, altas habent intus radices, quæ niſi euellantur, aliorum morborum prouentum facturæ ſunt.



APHORISMVS XVI.

Ὅκου λιμὸς, οὐ δεῖ πονέειν.

Vbi fames, laborandum non eſt.



RVDENTER *Hippocrates hunc Aphoriſmus ſubiunxit ſuperioribus, non ſolum quia inedia pertinet ad diætam ægrorum de qua agebatur; verum etiam quia cum docuiſſet impuritatem purgatione & inediâ eſſe exhauriendam, ne quis inde inferret tutum fore vtrumque auxilium quomodocumque adminiſtratum; cautionem hanc adhibere voluit, nimirum laborandum non eſſe, vbi fames eſt.* Quaſi diceret impuris corporibus detrahendos quidem eſſe cibos, attamen inediâ & fame non eſſe conficienda; tantum enim abeſt vt hoc in ſtatu purgationem, quin ne minimum alterum laborem tolerare poſſint, vt pote qui fractas vires alimentorum defectu, penitus deijceret. Quicquid ſit, pauca hæc verba magnam vim ſententiarum & ampliſſimum vſum continent:

Vſus apertus.

Nulla enim eſt pars Medicinæ ſiue ſit præſeruatrix, ſiue curatoria quæ hunc Aphoriſmum ſæpe in vſum vocare non debeat.

Primò enim ad diætam Sanorum ſpectat qui fame *Vſus apertus.* & inedia confecti non debent magnis animi aut 1. corporis motibus agitari. Acuta enim meditatio, aut perturbatio vehemens vel longa vigilia, aut exercitium aliquod validum, ſi inediæ adiungantur, vires ab exhauſtu iam languidas penitus diſſoluunt, viſceraque inopiâ ſucci alibilis areſcentia nouo illo ſpirituum motu exſiccant & accendunt.

Eadem etiam cautio in remediis euacuantibus 2. præſcribendis ſeruanda eſt; idque potiori iure quod naturæ infenſa ſint, & ſpiritus (qui ab aliis cauſis ſponte & vltro commoueri ſolent) vi & quaſi repugnantes agitent, vnde facultatis labor, viriumque exolutio maior expectanda.

Verùm minus periculum imminet non obſeruatâ 3. in ſanis hac lege, quam ſi morbo præſente in ea peccetur. Cum enim omnis morbus contra naturam ſit, vireſque ideo labefactet; ſi adſit inedia quæ illas exhauriat, quilibet ſuperadditus labor eas neceſſariò proſternet. Eamobrem diligentiſſime ſtudendum ne vbi fames & inedia ægrum detinet, vlla vehemens corporis, aut animi commotio ſuccedat, vel purgatio aut phlebotomia, vel ſudoris euocatio, aut aliud tale præſcribatur; niſi ſumma neceſſitas id exigat & plus auxilij à remedio quam periculi à labore expectetur.

Quemadmodum autem fames hic non audienda eſt animalis tantum, ſed etiam naturalis quâ *Vſus tralat.* 1.

omnes partes genio suo fraudatæ alimentum expetunt: Ita neque Inediæ nomine sola venit ciborum abstinentia, sed quælibet alia exolutio vi morbi aut naturæ facta: nam qui longitudine aut cacoethiâ morbi vel magnâ aliqua euacuatione exhaustus fuerit, is laborare non debet.

Quidam in consilium vocatus pro paupere ægrotante, collegas sese ad longam de morbo dissertationem accingentes facete admonuit, non esse ex Hippocratis præcepto laborandum, vbi fames est. Qui quidem iocus licet prima fronte lædere videatur humanitatem & φιλανθρωπίαν, quam in Medico optimus præceptor tantopere expetit; quæque æqualia egenis & diuitibus officia studiaque impertiri iubet: Si tamen attingere voluit Conciliorum vanum illum apparatum qui sæpe magis ad Medicorum ambitionem quam ad ægrorum salutem facit, prudenter & acute dictum existimo. Sed hanc vanitatem quam λοιμὴν νεαρὴν pestilentiam iuuenilem Hippocrates appellauit, quæque instar fuci, vt ait, assequitur cum ostentatione inanem laborem, fusius alibi perstrinximus.

Porro conuersio huius propositionis nihil illius veritati detrahit: Certum est enim quod sicut fame premente laborandum non est, ita vbi laborandum fames auferenda sit. Recreari enim vult natura, antequam remedium aliquod euacuans adhibeatur, vel suscipiatur opus à quo spiritus viresque possint exolui. Sed cauendum ne vllus eiusmodi labor statim pastum excipiat; aliò enim distractus calor non potest cibos concoquere, qui postea crudi rapiuntur in ha-

Cautio.

bitum corporis, vnde obſtructio omnium morborum parens. Itaque iuſtum tempus detur ciborum coctioni & virium refectioni ante labores: Aut ſi res vrgeat, recreetur ſaltem ventriculus pauco alimento, antequam ſuſcipiatur. Quod præceptum conuenit maximè cupidis literarum, qui omnes penè ſunt imbecilli ſtomacho, vt notauit Celſus, quique ob hanc cauſam facile exoluuntur ſi ieiuni longo ſtudio ſeſe dederint.



APHORISMVS XVII.

Ὅκου ἂν τροφὴ παρὰ φύσιν πλείων ἐσέλθῃ τὴν νοῦσον ποιέει, δηλοῖ δὲ καὶ ἴησις.

Vbi cibus præter naturam plus ingeſtus eſt, morbum facit, oſtendit & ſanatio.



B inedia ad ciborum plenitudinem tranſit, contraria enim contrariorum memoriam reuocant. Ordo Aph.

Duo præcepta continet hic Aphoriſmo Prophylacticum vnum, alterum Therapeuticum. Primum iam tetigit Aphoriſmo 4. vbi ſummam omnium rerum quæ ſunt ſupra naturam,

complexus est. Sed quæ vniuersali theoremate illic protulit, hîc ad speciem vnam coercuit: Triplici vt mihi videtur de causa. Prima, quia cum frequentius erretur in alimentorum copia, maiorque pars morborum ab ea ducat originem, de illa priuatim legem hanc statuere voluit, vt quæ in vsum sæpe vocari deberet, altiùs animo infigeretur. Secunda, vt limitem & quasi frænum aliquod poneret Aphorismo præcedenti, quo docuerat cibo recreandos esse inediâ confectos: Nam si plus nutriantur quam vires pati possint, in morbum cadant necesse est. Tertia, vt morbo à ciborum copiâ oriundo remedium etiam indicaret.


Vsus Aphor. Docet ergo primum, vitandam esse ciborum plenitudinem quæ supra & contra naturam sit. Hæc autem non solâ quantitate metienda est; sed & qualitate assumptorum, viribus, naturâ propriâ & consuetudine assumentis. Praua enim alimenta in valido corpore, & optima in imbecillo non magnâ mole, naturam premere possunt. Sunt etiam ex se non praua quæ tamen ob arcanum quendam dissensum quem habent cum corporibus, laborem pariunt, itavt parce etiam ingesta animi deliquia, diarhœas aliaque id genus inducere soleant. Habenda quoque ratio partium infirmarum, nam poterit ventriculus alimenta superare quæ hepati, cerebro, aut alteri parti imbecillæ noxam & plenitudinem allatura sunt. Consuetudini etiam & opportunitati attendendum; qui enim cœnare non est solitus, si parum in cœna sumat, aut si frequentius quam oportet quis cibetur, & antequam quod prius ingestum est concoctum

coctum fuerit, nouum ſuperindatur; aut ſi in exacerbatione vel ſimili aliquo caſu alimenta porrigantur: In his omnibus ſupra naturam cibus ſumitur & morbum facit. Seruetur ergo æqualitas de qua ſupra Aphoriſmo 4. maxime in conualeſcentibus & ad morbum paratis, in quibus errata nunquam impune committuntur.

Porro tacite indicat quonam remedio tolli debeat morbus ab alimentorum copiâ natus; Si enim curatio, vt ait, demonſtrare poteſt à ciborum copia oriundum eſſe, procul dubio aut inediâ aut euacuatione aliquâ quæ plenitudini opponatur, hanc perfici neceſſarium eſt. Quare cum illo ſtatuere poſſumus, quod vbi ſola quantitas ciborum naturam vexat (præſcriptâ primùm inediâ quæ hinc naſcentes morbos ſola ſæpe diſcutit) ſi primas vias tantum occupet, clyſmis vomitu aut leui cathartico excutienda eſt: Si venoſum genus, phlebotomiâ & catharſi: Si habitum corporis, ſudore, balneo, exercitio alijſque eiuſmodi; præmiſſis tamen vniuerſalibus præſidijs. Quod ſi ingeſta prauâ qualitate infecta fuerint, ſtatim vomitu eiicienda ſunt, nimirum ſi in ventriculo adhuc morentur; aut ſi inteſtina primaſque vias ſubierint, enemate & catharticis educenda; aliàs alterantibus & antidotis agendum pro natura rerum aſſumptarum. *Vſus occultus.*

Cauendum autem maxime ne crapulâ ſtagnante in primis vijs, liberaliùs fundatur ſanguis; ſic enim in maiores venas illa traheretur & quæ ſtabat ad ianuam, vt ita loquar, abduceretur in penitiores corporis receſſus, vnde retrahi non facile poſſet: ſed vomitu aut enematis, vel cathartico ſtatim eſt *Cautio.*

deturbanda: quibus præmissis & gliscente in intima morbo, ad venæ sectionem eundum erit si ita è re videatur.



APHORISMVS XVIII.

Τῶν τρεφόντων ἀθρόως καὶ ταχέως, ταχεῖαι καὶ αἱ διαχωρήσιες γίνονται.

Eorum quæ confertim & celeriter nutriunt, celeres quoque fiunt excretiones.

Ordo. EGIT *de ciborum copia, iam illorum qualitatem attingit.*

Sensus. Multa autem hîc docet. Primò enim causam affert ob quam vsus liquidorum magis conueniat infirmis corporibus quam

Ratio. solidorum: cum enim citò nutriant, cito etiam excrementa deponunt; hinc autem fit vt celeriter labentia putredinem non facile concipiant aut inferant; quam effugere vix possunt longas trahentia moras in corpore impuro & debili: vbi enim calor imbecillus est, dominari non potest succis, facileque ab extraneo euocatur & corrumpitur vnde putredo.

Vsus occultus prius. Secundò continet hic Aphorismus rationem cibandi vbi expectatur naturæ motus aliquis, aut remedia adhibenda sunt. Si enim his alimenta


præmitti necesse sit, talia esse debent, vt citò & confertim nutriant, celeresque habeant excretiones; scilicet ne auocent naturam ab opere, aut remediorum vim obtundant, aut morâ putredinem accersant: Hæc porro ad propriam cuiusque naturam metiri oportet, sunt enim qui vinum, oua, aliaque sua natura εὔπεπτα difficillimè concoquunt.

Tertiò, hæc sententia innuit etiam oppositam, itavt verum sit, eorum quæ tarde nutriunt, tardas fieri excretiones: vnde cùm in quibusdam affectibus frequens excrementorum decubitus morbum exasperet, vt in alui & vesicæ vlceribus quæ irritari solent vrinæ, aut deiectionum affluxu: vtile præceptum ad diætam potest deduci; nimirum alimenta celeriter nutrientia non esse in eiusmodi morbis præscribenda, nisi obstet febris, imbecillitas partium nutritiarum, & aliud quid simile. Cum enim corpora eiusmodi alimentis refecta facile dissoluantur, vt statim ostendemus, atque ob hanc causam frequentiùs cibari debeant, accidit etiam vt sæpe labentibus excrementis irritamentum continuum fluat ad partes affectas: Quod si tarda fieret excretio, per longas hasce inducias partes robur assumerent, citiusque morbo defungerentur.

Denique cum per Διαχώρησιν non tantum excrementorum expulsionem, sed & substantiæ dissipationem intelligere possimus; itavt Hippocrates asserere velit, celeriter nutrientia celeriter absumi, & contra: cibus enim qui cito coquitur, cito dissipatur, lib. de alim. Aliud præceptum hic proponitur maximi momenti, sanis præsertim & con- *Vsus.*

Sensus alius.

ualeſcentibus vtiliſſimum: Scilicet non eſſe aſſueſcendum cibis imbecillis & coctu facilibus. Quia cum mollem & euanidam habeant ſubſtantiam, corpora reddunt etiam fluxa, infirma & externis opportuna iniurijs, proindeque minus viuacia (hoc enim patet in animantium genere quorum ea breuioris ſunt æui quæ gramine ſolo veſcuntur.) Contra vero cibi duriores quique difficilius alterantur, ſtabile firmumque præbent alimentum, corpus reddunt ſolidius, & ad longæuitatem diſponunt. Attamen nulla in re frequentius peccant homines præſertim opibus & vitæ genere clari, quibus male cum ſanitate actum videretur niſi perdicibus, auiculis aliiſque id genus tenuiſſimæ ſubſtantiæ cibis continuo veſcerentur; cum tamen hi ſeroſum & tenuem ſuccum efficiant qui facillime excandeſcit, & ſi in ſubſtantiam partium abeat, citiſſime faceſſit in auras. At multo melius valetudini conſulerent ij præſertim qui calidiori ſubtiliorique ſanguine donati ſunt, ſi parcius eiuſmodi cibis vterentur & maiorum animalium carnes vt vitulinam, veruecinam, bubulamque in vſum ſæpius traherent: Sic enim craſſeſcerent ſucci, tepefactoque ſanguine viſcera ritè munia ſua obirent, corpus tandem firmius euaderet & longam inculpatamque duceret ſanitatem. Verùm huic diætæ minime aſſuetus ad eam tranſire non debet, inconſulto ventriculo: Si enim illa duriora mitigare non poterit, fœta illi erunt in omnem calamitatem.



APHORISMVS XIX.

Τῶν ὀξέων νοσημάτων οὐ πάμπαν ἀσφαλέες αἱ προδιαγορεύσιες οὔτε τοῦ θανάτου οὔτε τῆς ὑγιείης.

Acutorum morborum non omnino sunt certæ prædictiones salutis aut mortis.

NVPERRIME *loquutus de signis futuræ criseos, admonere hic nos voluit ea signa, vt neque alia qualibet quæ futuros euentus in morbis acutis prænunciant, non ita esse firma quin aliquando expertissimos etiam fallant.* Quicquid sit docet prædictiones quæ fiunt in eiusmodi morbis siue ad mortem siue ad salutem, plurimas quidem esse certissimas, quales sunt quæ in prognosticis, prorhetico alijsque in libris attulit; verumtamen οὐ πάμπαν idest, non omnes, nec in omnibus, nec omni tempore adductas. Quæ enim fiunt in principio morborum cum adhuc nulla coctionis signa sese efferunt; aut in augmento vbi morbus & natura æquo marte inter se dimicant, nec in quam partem inclinatura sit victoria conijci potest; eæ dubiæ & incertæ omnino sunt. Deinde sunt aliqui morbi naturâ suâ fallaces; sunt propriæ & in-

Ordo Aph. *Sensus Aph.* *Ratio Aph.*

cognitæ quorumdam hominum constitutiones; sunt causæ externæ & fortuitæ quæ medici etiam docti & periti præsagia interturbant. Fallaces sunt autem abscessus latentes viscerum, & morbi præsertim pestilentes & maligni; nec eorum vlli fidendum est quamuis primo occursu leues videantur; sæpe enim in illis vomica clam aperta ægrum repente suffocat; in his vero ex improuiso fiunt humorum metastases in partes nobiles & calamitosa oriuntur symptomata, quæ anticipata medicorum iudicia & ægrorum spem momento deijciunt.

Vsus proprius. Videtur ergo Hippocrates notatâ illa prædictionum incertitudine, monitos voluisse Medicos ne temere iudicium ferant de morborm acutorum euentu, nec nisi cognitâ affectus specie, parte affecta, humorum motu, facultatum principum constitutione, dierum efficaciâ & quantum fieri poterit perspectâ ægri propria naturâ, prognosim decernant: adiectâ semper hac conditione, modo nullus error committatur ab ægro, assidentibus aliisque externis.

Cautio 1. Porro inter multas cautiones quæ adhiberi debent in prognostico prudenter decernendo, duæ mihi videntur præcipuæ ad sustinendam Medici famam. Prima est, raro extendatur πρόῤῥησις vltra quaternarium diem; cum enim moueatur natura per quaternarios dies, quorum alij sunt indices, alii critici; tutior erit prædictio si coerceatur intra illos dies, & vix fallere aut falli poterit medicus qui tacitus expectabit indicem à quo docebitur quid natura die iudicatorio sit actura, & quid ipse tutò prædicere possit.

Secunda eſt, vt dubijs in rebus prædictio inclinet in deteriorem partem quamuis etiam ſpes affulgeat aliqua felicis euentus. Nam cum ſæpe in morbis funeſta ex improuiſo accidant ſymptomata, ſecura tunc ſtabit Medici prudentia quæ periculum proſpexiſſe videbitur: Aut ſi melius quam expectabatur res ſuccedat, diligentiæ dabitur felicitas ſucceſſus, & cedet in artis gloriam vitium prædictionis. Caue tamen ab ambitione Collegarum, hocque præſertim conſilium ſequere cum ſolus ægrum curas: nam ſi ſuperuenerit alius qui ſalutem certam ſpondeat, eâ ſuccedente tibi ſoli infauſta erit tua prognoſis, & niſi in crimen inſcitiæ aut timiditatis incurras, fruſtratoris nomen vix effugere poteris.

Præceptum etiam practicum hinc deducitur Medici famæ vtiliſſimum, ſcilicet in ancipiti illa ſalutis & periculi ſorte, ſi catharticum, vel ſomniferum ex vſu videatur, clam eſſe exhibendum & ſub forma potus cardiaci aut apoſematis, aut alterius innocui medicaminis. Nam ſi bonis ægri rebus propinatum fuerit, ſecundùm vota negotium peractum eſt; ſin minus, morbi efferati & malis aucti non accuſaberis: Alioquin aut metu infamiæ ab vtili remedio abſtinebis, aut eo dato quod vis morbi eſt allatura periculum famæ tuæ imminebit. *Vſus.*

Cum porro difficultas prædictionis in malignis febribus pendeat maxime ab incerto humorum motu; cautio vtiliſſima ad prognoſticum & ad curationem hinc deduci poteſt. Nimirum graſſantibus eiuſmodi morbis accurate obſeruandas eſſe *Cautio.*

humorum inclinationes ; ſæpe enim accidit, vt in vna tempeſtate hi ad caput, in alia ad ventriculum aut inteſtina ferantur, & varia pro varietate partium adducant ſymptomata. Quæ denuncianda ſunt in ipſo morbi principio & antequam ingruant auertenda : roborando ſcilicet partes quibus tale periculum imminet & deducendo humores ad oppoſitas : cauendo denique ne aliquid exhibeatur quod eiuſmodi ſymptomatis fauere poſſit. Sic in variolis cautè & auare purgantia ſunt præſcribenda, accerſunt enim facile diarrheas ijs in affectibus periculoſas. Sic vbi paraphorica aut cephalalgica timentur ſymptomata, numquam vtendum aromaticis quibus illa ſolent accelerari.



APHORISMVS XX.

Οκόσοισι Νέοισι ἔοισι αἱ κοιλίαι ὑγραί εἰσι, τουτέοισι ἀπογηράσκουσι ξηραίνονται. ὁκόσοισι δὲ νέοισιν ἐοῦσιν αἱ κοιλίαι ξηραί εἰσι, τουτέοισι πρεσβυτέροισι γινομένοισι ὑγραίνονται.

Quibus per iuuentutem alui ſunt humidæ

dæ ijs ſeneſcentibus exſiccantur, quibus vero in iuuentute alui ſunt ſiccæ, ſeneſcentibus humectantur.



MVLTI ſubleſtam fecerunt huius Aphoriſmi fidem, dubitantes qua ratione inter certiſſima artis decreta collocauerit Hippocrates id quod experientiæ quotidianæ aduerſatur: Nam præterquam quod maxima pars iuuenum aſtrictâ aluo ſit, multi quibus humida fuit in iuuentute, eandem ſeruant cum ſenes facti ſunt. Verùm nec ſenſum horum verborum, nec præceptoris inſtitutum perſpexiſſe mihi videntur.

Quam enim humidam vocat aluum, non ea eſt quam mollem μαλθακὴν appellauit laudauitque in prognoſticis, ſed liquida fuſaque qualis in diarrhæis notatur: veriſſimum eſt autem iuuenes quibus à copiâ & acrimoniâ bilis fluxus illi per temporum interualla, vt ſæpe fit, contingunt, accedente ſenio ijs defungi, tepefactâ nimirum & minori factâ bile à frigore ſenectutis. *Senſus Aph.*

Sane ſi aluus humida alia eſt à molli & laudabili, vt præfato loco monuit præceptor, veriſimile non eſt iuuenes qui eam quotidianam habent, melius degere quam qui ſiccam, vt docuit Aphor. 53. quomodo enim iis melius cederet quod vitioſum eſt, quodque non poſſunt continuo pati citra totius œconomiæ naturalis perturbationem. At vero liquidæ deiectiones quæ febris expertes ſunt, & quæ ſeptimâ die aut citius terminantur, commodæ ſunt ex 2. prorh. hæc autem ventris fluiditas per

vices erumpens non impedit quo minus interea durescat ille, verumque sit magnæ iuuenum parti illum esse astrictum & compressum. Quod si aliqui sint qui eam quam in iuuenta habuerunt humidam aluum in senectute seruent, de liquida & fusa non id intelligendum est, sed de molli & tenera quæ bene constitutis corporibus conuenit.
Ratio Aph. Quibus ergo iuuenibus biliosis prædictæ contingunt diarrheæ melius multo degunt quam qui hoc naturæ beneficio priuantur; nimirum quia noxium humorem deponunt, qui retentus cephalalgiam, cardiogmum, febres, aliaque incommoda generare solet.

Quod ad scopum in quem Hipp. direxerit hanc sententiam, neq; hunc attigisse illi mihi videntur; non enim, vt existimant, & vt nuda verba ferunt, addictus est sanis hominibus; nihil enim ad ægrotantes de quibus toto hoc libro agitur, attinet aluus beneualentium: Et si ea fuisset mens Hippocr. nihil illi opus erat eandem sententiam repetere Aphor. 53. vnde certò conijciendum est alio consilio ductum eam hic collocandam & superiori Aphor.
Ordo Aph. subiungendam voluisse. *Cum itaque acutorum morborum dubias prædictiones asseruisset, adduxit in exemplum variam alui constitutionem,* vt vnam è causis quæ hanc incertitudinem efficerent. Si enim crises fiunt diuersæ in eadem specie morbi, ob varium corporum habitum, hunc autem difficile sit dignoscere, accidit etiam vt incerta sit prognosis; Et quæ verbi gratia sperabatur salutaris alui solutio ob contrariam naturæ inclinationem periculose impediatur, vel in aliam crisis speciem mutetur. Contrà in variolis, erysipelate aliisque eius-

modi morbis naturæ motum, qui totus ad extima ferri debet, intrò deflectere potest alui procliuitas ad fluxum & intempestiuo profluuio ægrotantem obruere.

Sub allata autem alui dispositione comprehendi voluit omnes alias corporum habitudines quæ morborum iudicationem peruertere solent, vt raritatem & densitatem, partium imbecillitatem, & similes alias: In senibus enim Causi qui sudore decerni deberent, aliquando cruentâ dysenteriâ iudicantur, vt Bioni euenit; nimirum quia ob corporis densitatem bilis in caua corporis recurrit & crassior facta decumbit in aluum. Sic abscessus fiunt, & morbi sese obfirmant in partibus infirmis, aut antea dolentibus, vt quarta sect. huius operis animaduersum est, *Vsus trallat. 1.*

Præter allatum autem huius Aphorismi sensum & vsum qui totus ad prognosim acutorum pertinet, alius est qui ad diuturnorum morborum iudicationem spectat: hæc enim sequitur etiam variam corporis & naturæ inclinationem, diuersisque patet mutationibus, prout ab origine, à casu, aut à consuetudine affectæ sunt partes. *Vsus tral. 2.*

Alius denique est sanis proprius quem simplex verborum contextus aperit: declarat enim qualis futura sit valetudo senescentibus ex alui constitutione per iuuentutem: Notum est enim quale ad valetudinem momentum habeat alui libertas, quæ magnorum morborum appulsum arcere dicitur & cuius astrictio, vt aiunt, omnium est confusio. Iuuenes ergo hoc naturæ beneficio donatos bonâ sorte gaudere iubeas, alios vero consolare spe venturæ senectutis suis incommodis va- 3


cuæ, futuros æuo peiore meliores.

4 Hoc etiam exemplo indicat alias pathematum vicissitudines quas ætatis & temperamenti mutatio secum adducit; qui enim ob bilis feruorem febribus, hæmorrhagiâ, aut cardiogmo alijsque huius humoris asseclis vexari solent, ab hisce liberantur accessu senectutis.

Cautio 1. Proposita autem obseruatio duplicis in medicina facienda Cautionis nos admonet. Prima est: Alui habeatur ratio in cartharticis exhibendis, iis enim quibus est humida, secure præscribi non possunt valida purgantia quæ præcipites agerent humores ad fluxum pronos & immodicâ vacuatione corpus exoluerent: Quibus vero dura est & indocilis, leuiora pharmaca nihil aliud efficient quam inutilem humorum commotionem, quę corpus malis augebit & tędio nouæ purgationis instituendæ animum deijciet. Hos ergo φαρμακεύειν δεῖ ἁδροτέρως, vt de melancholicis asserit Hippocrates, nisi æstus & squallor viscerum obstent; tunc enim abstinendum à rapidis illis cartharticis quæ omnia incendijs vastarent & aluum deinde pertinaciorem relinquerent. In his itaque balnea, victus humidus, & alia quæ fluxa reddunt corpora, præmitti debent.

Cautio 2. Secunda est vt causæ quæ stringunt aluum conuenientibus auxilijs debellentur. In iuuenibus nimirum quia hepatis feruore, humorum ἀναῤῥοπία & corporis raritate pigra fit aluus, excitari debet diætâ humectante & refrigerante quæ viscerum æstum coercebit, humores reddet segniores & corpus densum efficiet. Senibus vero quia ob auctam retentricis efficaciam à sic-

ca intemperie & expultricis infirmitatem à frigore ſenſum obtundente, omnia pigra ſunt; ætatis intemperies caſtigabitur victu calefaciente & humectante, & eccoproticis ſtimulabitur facultatis expellentis ſegnities.



APHORISMVS XXI.

Λιμὸν θώρηξις λύει.

Famem thorexis ſoluit.



N fame laborandum non eſſe ſupra monuerat, adductiſque poſtea quæ ad rem magis eſſe videbantur aut quæ memoriæ prius occurrebant, redit iam ad famem, eamq; ſolui meri potione docet. Vſus eſt autem nominibus famis & Thorexis quæ ad varias res ſpectant, vt multa paucis pro more comprehenderet: Nam Fames inediam & quamlibet exolutionem, & appetitum ciborum tam ſecundùm quam contrà naturam complectitur: Thorexis vero & multam meri potionem & vini moderatum vſum. Nimirum in fame præternaturali cuiuſmodi eſt canina & quæ boulimos dicitur, liberalis meri potio neceſſaria eſt; in exolutione vero temperati & æqualis æquali vt loquitur, præſcribenda.

Ordo.

Senſus.

Vſus. Veroſimile eſt autem Hippocratem primum huius Aphoriſmi vſum direxiſſe ad conualeſcentes, de quorum diæta in ſuperioribus egit: Itavt ſi poſt criſim, purgationem aut alium laborem, fames, hoc eſt virium exolutio, illis ſuperueniat, vinum ſecurè, imo vtiliter exhiberi poſſit ἴσος ἴσῳ πινόμενος, vt loquitur 7. Aphoriſmorum. Nihil eſt enim in *Ratio.* tota medicamentorum alimentorumque familiâ quod tantâ polleat efficaciâ in ſpiritibus ſtatim reparandis, quanta vino conceſſa eſt, vt pote quod ſolum forſan ſit calori natiuo & cordi εὐπρόσφυτον & conſociale. Imo in ipſis febribus, vrgente magna virium defectione, quarum conſeruatio præſtat cæteris indicantibus, merum audacter ſed parcè tamen offeratur, aut ſi quid etiam prohibeat, recreentur ſaltem ſpiritus odore vini ſuaueolentis: Vidimus enim in ſumma virium proſtratione ęgrum diu ſuſtentatum effuſo ſæpius ante nares in alterna vaſa vino generoſo; citiſſima enim nutritio fit per odores lib. de alim.

Vſus occultus. proprius 2° Innuit quid ſit expectandum de illa fame quæ βούλιμος dicitur. Cum enim huic affectui ſe adiungere ſoleant frequentia animi deliquia; ſi meri potione euaneſcant, indicium eſt vires adhuc conſtare nec vanam fore ſpem ſanitatis: at vero ſi nullum leuamen attulerit θώρηξις peſſime cum ægris actum iri ſignificat & virium infirmitatem omnia morbo tandem permiſſuram.

2. 3° Indicat remedium huic morbo conuenientiſſimum; Nam vt ait Gal. cùm ſoli intemperiei frigidæ vel acidis quibuſdam ſuccis ſtomachum imbuentibus fames canina & boulimos (quæ ſolâ intenſione differunt) ſuam debeant originem,

nullum præstantius auxilium adhiberi potest quam vini generosi potus, quod blandum ventriculo afflabit calorem, & austeram succorum aciditatem oleosâ substantiâ temperabit: huiusmodi autem debet esse pingue & fuluum, aliorum enim vsu malum ingrauesceret.

Cauendum tamen ne liberali illa meri potione cuilibet fami occurrendum putemus; nam si vel diuturnam inediam, vel alui profluuium, aut quamlibet aliam euacuationem consequatur, tantum abest, vt commodum aliquod ægro conferat, quin potius malis augebit, subitâ nimirum delirij aut conuulsionis accessione. *Cautio.*

Hic etiam tacitus nos monere videtur, ne infidam illam famem quæ præter rationem perniciosis febribus aliquando superuenit, quæque prudentiores sæpe fallere potest, cibis solidioribus expellere tentemus; obruerent enim calorem natiuum jamjam impotentem, & vitæ reliquias penitus exhaurirent. *3.*

Denique ad sanos spectare hunc Aphorism. euidentius est quam vt annotari debeat, cum nulli non compertum sit nullâ alia re citius famem frangi quam magnâ meri potione alijs cibis præmissâ; non solum quia statim distribuitur multumque alit, verum etiam quia oleosâ & tenui qua pollet humiditate laxat ventriculi fibras quæ astrictæ & corrugatæ suctum, præcipuam appetitus naturalis causam, efficiunt. Quamuis autem vera sit hæc sententia, illius tamen vsus improbandus; merum enim ante cibos solidos ingestum lædit ventriculum, cerebrum, neruosumque totum genus, vnde corpora reddit debilia, notante Hipp. l. de vet. med. *Vsus tralat.* *Cautio.*



APHORISMVS XXII.

Ἀπὸ πλησμονῆς ὁκόσα ἂν νοσήματα γίνηται, κένωσις ἰῆται, καὶ ὁκόσα ὑπὸ κενώσιος, πλησμονὴ· καὶ τῶν ἄλλων ὑπεναντίωσις.

Quæ à plenitudine morbi fiunt vacuatione curantur, & qui ab inanitione, plenitudine sanantur, cæterorumque contraria debent esse remedia.



A Particularibus ad generalia progressus facilis est: docuerat supra famem meri potione solui; addit jam omnes in vniuersum morbos ab inanitione ortos plenitudine sanari & contra, vnde tandem deducit Theorema vniuersale contraria contrarijs curari. Quod est primum artis principium aut conclusum. Illi enim ipsi qui similibus curationem fieri contendunt; huic tamen effato coguntur assentire; sulphureos nimirum morbos sulphureis remedijs, sed oppositâ qualitate donatis expelli debere sentientes. *Sensus.*


Vsus apertus. Vsum autem huius Aphorismi maxime indicat verbum ὑπεναντίωσις quod contrarietatis perfectæ signi-

ſignificatum minuit: Nam quamuis omnes id intelligant de abſoluta contrarietate, quaſi ὑπὸ vacet in hoc nomine, ſitque ὑπεναντίωσις idem omnino quod ἐναντίωσις, vt aliquando contingit; velintque ideo remedia æquali gradu morbis eſſe opponenda; nimirum quia maiora, ſunt ſupra naturam quam corrumpere apta nata ſunt; minora vero infra morbum cui non poſſunt dominari. Præſtat tamen huic præpoſitioni vſitatiorem concedere quam habet in compoſitione poteſtatem, quæ ſæpius minuit ſignificatum verborum ſimplicium, immo quæ nonnumquam arguit aliquid ſenſim & paulatim fieri: Itavt ὑπεναντίωσις indicet non æquata quidem, ſed minora & paulatim adhibenda contraria. Hæc enim explicatio conſentit cum ceterâ doctrina Hippocratis qui paſſim docet periculoſum eſſe plurimum & repente vacuare, aut calefacere, aut refrigerare, Aphoriſm. 51. huius ſect. Contraria ſenſim adhibenda & interquieſcendum. 6. epid. extremas vacuationes & renutritiones eſſe periculi plenas. 1. Aph. & alibi paſſim habendam eſſe rationem conſuetudinis, cui æqualia illa remedia fere perpetuo aduerſantur. Sanè cum ſecuritas in morborum curatione potiſſimum quærenda ſit, illaque reperiatur in eo ſolo quod paulatim & modice adhibetur, vt cit. Aphor. 51. monuit, nullum remedium æquale magno morbo tutum eſſe poteſt, quia naturam corrumpit & conſuetudini repugnat: Temperatis ergo, remiſſis, & vt ille ait ſubcontrarijs vtendum eſt quæ morbum oppugnabunt, vt contraria, & naturæ ſtudebunt vt remiſſa.

Sed quid ad Gal. & cæteros Medicinæ prin-

cipes qui ea omnino & paribus, vt aiunt gradibus æqualia eſſe iubent? Quid ad Hipp. 1. Aphoriſm. ſeptimo, qui extremis morbis extrema remedia præſcribit? quid ad lipothymiam vſque ductas euacuationes quas ſæpe felix euentus excipit, dicendum eſt? Certè cum vnico remedio morbus expugnari non debeat ſed pluribus, quia paulatim & modice contraria adhibenda ſunt; ſi ſingula ſpectentur, inæqualia ſint oportet; ſi ſimul collecta, æqualia cenſenda ſunt: Et quod in idem recidit, ſi curatio per partes conſideretur, imparibus perfici debet; ſi tota & integra, paribus. Quinimo ſingula remedia ad morbum comparata æqualia indicantur, ſed quia natura repugnat, ars cui illius ſeruandæ prima incumbit cura, minora ſemper inſtituit; itavt non incongrue dici poſſit, illa eſſe æqualia theoretice, practice vero inæqualia.

Cautio. Obſeruandum tamen duplicem eſſe medendi methodum, vnam liberam quæ dat tempus & opportunitatem omnia ordinatim & compoſitè faciendi: Alteram coactam in qua morbi ferocitas medicum ruere in agendo & auxilia præcipitari cogit. Prior æqualia morbo remedia prohibet; poſterior admittit: in pernicioſiſſimis enim morbis aliquando periclitandum eſt, vt ait præceptor, & anceps potius remedium experiri decet quam certæ morti ægrotantem permittere. Huc autem pertinent ſanguinis detractio ad lipothymiam, purgatio vehementiſſima, aliaque extrema remedia de quibus Aphoriſmus citatus, vt eo loci fuſius declarauimus.



APHORISMVS XXIII.

Τὰ ὀξέα τῶν νοσημάτων κρίνεται ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρῃσι.

Acuti morbi iudicantur in quatuordecim diebus.



VAMVIS *acutorum morborum non omnino certæ sint prædictiones, tamen certo statui potest omnes omnino 14. diebus indicari.* *Ordo.*

Acumen quidem non semper cadit in primum morbi diem, sæpe enim expectat quartum aut septimum, aliquando etiam tardius erumpit; sed quouis die exiliat, non potest excurrere vltra quatuordecim dies: hunc enim terminum natura infirmitatis suæ conscia posuit morborum vehementiæ, quam diutius ferre non potest sine victoria aut virium prostratione. Itaque si primo statim die sese erigat, intra decimum quartum morbi diem necessario cursum suum adimplebit: Si quarto, intra decimum septimum: Si septimo, intra vigesimum: Si decimo, ad vigesimumquartum progredi poterit, vt in iuuene Melibææ, qui decimo parum delirauit, perijt vigesimoquarto. *Sensus.*

Hinc deducuntur vtilissimæ cautiones ad pro- *Vsus occultus.*

gnoſim & Therapeiam. Primò enim ex dictis conſtat ſuſpenſo pede eundum Medico in principijs morborum, nec temere decernendum prognoſticum, nec quælibet remedia eo tempore in vſum vocanda. Cum enim multi morborum fallaces ſint & ſub placido lenique decurſu foueant ſæpe magnam vim tempeſtatis ſuo tempore erupturæ: Si interim Medicus ſecurum ſe de morbo fecerit ægrumque aluerit promptæ leuationis expectatione; ex improuiſo factus vehemens & ferox affectus deijciet cum artis infamiâ ſpes temere conceptas, & quodcumque etiam innocens admotum fuerit remedium, in crimen veniet exacerbatæ ægritudinis & caſus in culpam tranſibit.

Vbi itaque initiò morbi pacata omnia tranquillaque videntur, antequam Medicus vllum de eius exitu iudicium ferat, diligenter apud ſe perpendere debet naturam ægrotantis, temporis ſtatum, ſymptomatum aſſidentium vim & morbos eâ tempeſtate graſſantes. Nam ſi praua ſit corporis conſtitutio, ſi tempus morboſum ſit, ſignaque ſint imparia affectui, aut gliſcat in vulgus maligna quædam lues, ſuſpectam debet habere eiuſmodi malaciam, & ita ſe gerere apud ægrum, vt ſpem quidem faciat optatæ valetudinis, ſed cum metu inſidiarum morbi, niſi appoſitis auxiliis præuertantur. Ita enim quócumque res tandem caſura ſit, ſecurus de famâ periculum amouiſſe aut ſaltem præuidiſſe exiſtimabitur.

2. 2° Cum in magnis malis nulla ſpes maior affulgere poſſit, quàm vt impetum morbi trahendo quis effugiat, prorogeturque in id tempus quod curationi locum præſtet; videtur Hippocrates

propoſitâ illâ breuitate, ægros velle conſolari, animoſque erigere ad ſuſtinendam alacriter rapidam illam vehementiam, quæ ſtatim ſeſe remiſſura opportunitatem remediorum & ſanitatis certam dabit expectationem.



APHORISMVS XXIV.

Τῶν ἑπτὰ ἡ τετάρτη ἐπίδηλος, ἑτέρης ἑβδομάδος ἡ ὀγδόη ἀρχή· θεωρητὴ δὲ ἡ ἑνδεκάτη, αὐτὴ γάρ ἐστι τετάρτη τῆς ἑτέρης ἑβδομάδος· θεωρητὴ δὲ πάλιν ἡ ἑπτακαιδεκάτη· αὐτὴ γάρ ἐστι τετάρτη μὲν ἀπὸ τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης, ἑβδόμη δὲ ἀπὸ τῆς ἑνδεκάτης.

Septenorum quartus eſt index, octauus ſecundæ ſeptimanæ initium; obſeruabilis & vndecimus, alterius enim hebdomadis quartus eſt; Jterum dies decimus ſeptimus, is enim à 14. quartus eſt & ab vndecimo ſeptimus.



QVAMVIS ad ſolam phyſiologiam ſpectare videatur hic Aphoriſm. nec velle aliud docere quam quot & qui ſint indicatorij; merito ſu- *Senſus.*

ſpicari debemus Hippocratem ad alium vtiliorem ſcopum tam exactam eorum dierum contemplationem direxiſſe. Cum itaquè nil fere magis interſit Medico ad victus, remediorum, & prognoſtici inſtitutionem, quàm vt prænoſcat tempus quo criſim natura molietur; hoc autem non poſſit ſine obſeruatione dierum indicum, qui tanquam ſpeculatores ſtant ante criticos indicaturi quid in his agendum natura meditetur: profectò prouidendum maxime eſt vt pura ſinceraque ſeruetur vis eiuſmodi dierum, & ne intempeſtiuo victu, animi pathematis, aut præpoſtero remediorum vſu corrumpatur, naturæque motus obſcuretur ad præſagium, aut intercipiatur ad criſim.

Vſus occultus proprius.



APHORISMVS XXV.

Οἱ θερινοὶ τεταρταῖοι τὰ πολλὰ γίνονται βραχέες, οἱ δὲ φθινοπωρινοὶ μακροὶ καὶ μάλιστα οἱ πρὸς τὸν χειμῶνα συνάπτοντες.

Æstiuæ quartanæ magna ex parte

ſunt breues, autumnales vero longæ & maximè quæ hyemem attingunt.



Morbis acutis, ad longos patentiſſimus erat tranſitus, neque enim ad ſolas Quartanas pertinet hic Aphoriſmus, ſed ad omnes alios diuturnos affectus, præſertim qui tales ſunt à cruditate & contumaciâ humorum, vt patet in paraplegijs quibuſdam, catarrhis, abſceſſibus & alijs eiuſmodi, qui ſi vere aut æſtate oriantur, breuiores multo ſunt quam ſi incidant in autumnum aut hyemem. In his enim quemadmodum in quartanis aëris calor ſuccorum coctionem promouet, meatus facit liberos & faciles reddit excretiones: Contrà frigus denſat poros, humores cogit, nec ſinit eos ad pepaſmum aut ad excretionem venire niſi longo temporis tractu. His adde caloris natiui langorem non ſolùm ab effluuio quod prægreſſa tempeſtas excitauit, vt vulgo iactatur, ſed etiam ab interceptione anathymiaſis ſolitæ quam inæqualis & frigida temporis conſtitutio intus retinet; hæc enim tanquam fumus non libere difflatus ignem natiuum labefactat & marceſcere cogit, vnde coctionum aliarumque actionum naturalium defectus, morborum diuturnorum parens.

Vſus apertus. *Vſus tralat.* *Ratio.*

Quod ſi hæ ſint cauſæ quæ autumno & hyeme longiores reddunt morbos, nonne ad curationem transferri poteſt hic Aphoriſmus? cùm non ſit ſupra artis potentiam aëris intemperiem caſtigare, & clementiorem reddere quemlibet anni ſtatum. Hoc enim ſi præſtare poteſt, cauſas *Vſus.*

diuturnitatis morborum ſi non omnino tollat franget tamen & breuiorem vtique faciet viam ad ſanitatem.




APHORISMVS XXVI.

Πυρετὸν ἐπὶ σπασμῷ βέλτιον γίνεσθαι, ἢ σπασμὸν ἐπὶ πυρετῷ.

Febrem conuulſioni ſuperuenire ſatius eſt quam conuulſionem febri.

Ordo.



VIA *conuulſiones rariſsime in febrem quartanam incidunt eàque ſuperueniente ſanentur, iuſta fuit cauſa cur meminerit conuulſionis poſt allatam de hac febre ſententiam; hauſeritque inde vniuerſale theorema de qualibet febre ſuperueniente conuulſioni.* Duo autem continet prima nudaque huius Aphoriſmi expoſitio. Primum Conuulſionem febri, & Conuulſioni febrem ſuperuenire poſſe bonis cum ægri rebus. Illud quidem docuerat in Coac. 5. ſect. 1. conuulſio quæ eodem febris die aut ſecundo & ad ſummum tertio incidit, ſoluit febrem, tranſlatâ ſcilicet materia è venis in neruos & inde eiectâ. Hoc vero quart. ſect. ſecunda, Conuulſionem ſanat febris acuta quæ prius non fuit, aut ſi fuit quæ exacerbata fuerit, & 4.

Senſus.

Apho-

Aphorifm. 57. à conuulfione habitum aut tetano, febris fuperueniens liberat, diffipatâ fcilicet crudâ materiâ aut flatu, vnde nata erat conuulfio: nec enim intelligendus eft Aphorifmus de ea quæ ab inanitione fit.

2m. tutiorem & feliciorem euentum fore fi febris conuulfionem fequatur, quam fi conuulfio febri accedat: Quia fcil. conuulfio febrem foluere non poteft, nifi expulsâ materiâ febrili è venis in neruos, è parte minus nobili in nobiliorem. In quo quidem motu tot conditiones rarò fimul concurrentes expetuntur, vt vix fperari poffit, aut faltem citra magnum difcrimen expectari tam infolens febris exitus. Nam præterquam quod eiufmodi conuulfio primis diebus occurrere debet, nec vnius horæ fpatium excedere, licet fæpius eâdem die recurrat; Morbificus humor qui fuccuffione illâ in neruos abigitur, non debet hîc fubfiftere, fed ftatim propelli foras, aut faltem in partes ignobiliores deijci. Verum in hoc conatu tam firmum naturæ robur expetitur, tam docilis & fequax humor effe debet, tam magna intercurrere poffunt impedimenta, vt anceps omnino & periculi plena res videatur. At vbi febris conuulfionem fequitur, nihil eorum omnium eft quod metum faciat, & fi quid timendum eft, fola febris lenitas timenda eft: Nam apoplexia folubilis, adueniente febre lentâ, mortifera eft, coac. fect. 2. quicquid enim humorem ciet, nec eum diffipat aut exhaurit, oppreffionem infert maiorem, meliufque eft in hoc cafu naturam quiefcere, quam aliquid fruftra moliri. *Vfus apertus.*

Hoc præterea exemplo docet Hipp. morbos aliis *Vfus tralatitius.*

morbis plerumq; mederi, & naturam remedia etiam ex noxiis, præſidia ex hoſtibus aliquando trahere. Sic cephalalgiam veternoſam, ſic paralyſin illa eademmet conuulſio diſcutit; febris ipſa catarrhum, apoplexiam, ileon ex ſtillicidio vrinæ ſanat; ſic quartana ſoluit conuulſiones, delirium, tremorem; dyſenteria breuis lienoſos, longa gibbus lumborum ex tuberculo natum, vt paſſim videre eſt apud præceptorem. Qui quidem hac obſeruatione admonere videtur Medicos, ne ſemper terreantur nouâ malorum acceſſione, vt pote quæ ſæpenumerò vertantur in melius & laboranti naturæ ſuppetias ipſamet ferant in profligandis prioribus morbis.

Porro theorema illud prognoſticum ad therapeiam etiam ſpectare multi opinantur, quaſi Medicus ex imitatione naturæ debeat febrim accerſere in omnibus ijs morbis quos illa ſponte ſuperueniens diſcutere ſolet. Verùm audax hoc remedij genus & inutile prorſus ſemper mihi viſum eſt: Nam cum febris quæ conuulſionem ſanat, debeat eſſe par morbo, hoc eſt vehemens & acuta, vt notauit Hipp. atque in ipſis morbi principiis emicare, antequam materia contumacior euaſerit, & vires elanguerint: Quis eandem ſpem collocabit in febri per artem accenſa? quæ non poteſt non eſſe leuiſſima & impar affectui; quæque non niſi progreſſo iam morbo in ſubſidium veniens (poſt tentata nimirum alia præſidia) incidat neceſſe eſt in vires iam infirmas, & in cauſas morbificas tunc inſuperabiles. Præterea certum apud me eſt primam illam febrim à natura excitari, vt eijciatur morbus è ſede quam occupat, ideóque huc diri-

gi illius impetum , caloremque & ſpiritus eò deduci; vt patet in aliis quæ ad puris confectionem, aut ad excretiones promouendas excitari ſolent; huic enim ſoli operæ vacare videntur, ſpretis aliis in corpore latentibus malis. Quod ſi res ità ſe habeat , quid auxilij manet in alia febre quam vis ignea medicamentorum elicuit? Nihil enim eſt quod in conuulſionis fomitem meditetur, nullum eò tranſmittit ſubſidium, ſolam aggreditur intemperiem partibus nutritiis aut ſpiritibus impreſſam. Verùm liceat euocare hanc febrim , opem etiam ſi ita diis placet allatura ſit , qua tandem arte , quibuſve auxiliis id præſtari poterit? Nam confectio anacardina , caſtoreum, aliaque calidiſſima pharmaca quæ ad id expetuntur , ardorem quidem multum toti corpori afflabunt , ſed nullam ingerent febrim ; & vix è millibus vnus illam concipiet venis , niſi magnum ad eam apparatum habeat. Quid? ſi in illo apparatu lateant etiam fomenta alicuius febris malignæ, nonne igne concepto omnia naturæ præſidia incendiis vaſtabunt, & quod ſupereſt virium priori morbo opponendum penitus diſſoluent? Valeat ergo eiuſmodi remedium quod inutile iuxta & pernicioſum ſemper futurum eſt. Nec in exemplis naturæ aut artis fidem quærat : ars enim calefacientibus medicamentis potuit leuamen attuliſſe , non febre inde natâ: Natura verò ſuas habet agendi rationes, quas cùm ſæpe non poſſit ars attingere , nec debet etiam imitari : Si quis enim dyſenteriam velit excitare in lienoſo aut in gibberis lumbis , quamuis ad imitationem naturæ id efficiat , nihil tamen aliud efficiet quam inutile tormentum


prioribus incommodis adijcere; non enim omnis dysenteria sanat lienosos, aut gibbus lumborum, sed ea sola quæ causas morbificas vacuat & exhaurit.



APHORISMVS XXVII.

Τοῖσι μὴ κατὰ λόγον κουφίζουσιν οὐ δεῖ πιστεύειν, οὐδὲ φοβεῖσθαι λίην τὰ μοχθηρὰ γινόμενα παραλόγως· τὰ γὰρ πολλὰ τῶν τουτέων ἐστὶν ἀβέβαια καὶ οὐ πάνυ τι διαμένειν οὐδὲ χρονίζειν εἴωθεν.

His quæ non cum ratione leuant non est fidendum, neque multum formidanda mala quæ præter rationem eueniunt, plurima enim horum stabilia non sunt, neque diu permanere consueuerunt.


Ordo. VPERIOR *Aphorism. huic certissime locum & argumentum dedit.* Nam cum Hippocr. docuisset aliquando morbos aliis morbis esse remedio, monitosque propterea voluisset Medicos ne turbarentur super-

uenientibus eiuſmodi malis, quamuis primâ fronte metuenda viderentur; EX hoc caſu & à contrario theorema deduxit vniuerſale, ſcilicet non eſſe fidendum ijs quæ ſine cauſa leuant, neque valde timenda ea quæ immeritò praua apparent; cuiuſmodi ſunt morbi ſupra notati, & innumera perturbationum criticarum ſymptomata. Vult autem non quidem, ea nullomodo eſſe timenda, ſed non eſſe valde timenda: ſiue quia primus illorum occurſus aliquem metum ſemper inijciat, ſtatim deponendum, perpensâ illorum causâ; ſiue quia ſollicitos ſemper tenere debeant Medicos ne errore aliquo naturæ aut artis reuera fiant praua, quæ prauâ ſolùm apparebant. *Senſus.*

Non autem in ſolis morbis vſum habet hic Aphoriſm. ſed etiam in omni alio corporis ſtatu ſiue ſalubri ſiue neutro: ſi quis enim ſeipſo factus eſt ſpecioſior & coloratior, ſi ante vigil in ſomnos longiores labatur, ſi naturâ lentus de repente alacrior & audacior euaſerit, hic ſuſpecta debet habere bona ſua. Contra verò hominibus cæterà ſanis multa de repente oriuntur ſymptomata quæ metum inferunt, licet ſalutaria ſint, aut ſaltem non valde metuenda; quorum certe in primis feraciſſima ſunt temperamenta melancholica: his enim ſæpe cordis palpitationes, dolores præcordiorum, membrorum ſtupor, aliaque id genus accidunt magno cum metu, ſed cum paruo periculo. *Vſus tralat.*

Porro ad praxim reuocabitur hoc theorema, ſi patefactis inſidiis quas fallaces illæ alleuationes & εὐφορίαι tegunt, ſtatim occurratur, & imminentia hinc mala auerruncentur; nimirum ſi id in *Vſus proprius.*

poteſtate artis ſit. Sæpe enim occurrunt in morbis inſidioſæ illæ laborum induciæ quæ omnem Medicinæ conatum reſpuunt; cuiuſmodi ſunt eæ quæ à fatiſcente & emoriente natura ortum habent: In his enim cum iam mors ſtat pro foribus, res ægri de repente meliùs ſe habere videntur, omnia miteſcunt ſymptomata, febriſque ipſa tepeſcit, & tamen, vt ait Hippocrates ἐπανενέγκαντες θνήσκουσι, cum ſe collegerint moriuntur. Fruſtrà ergo adhiberetur ars vbi natura deficit, & vbi nihil eſt amplius quod morbum aut remedia ferat. At verò cum malefida illa tranquillitas cauſas habet intus latentes quæ ſenſim ſine ſenſu corpus alterant, aut quæ modò quietæ paulo poſt impetum facturæ ſunt, aut quas natura ob contumaciam, vel ob malignitatem non audet tentare; tunc datur medicinæ locus, & pro diuerſitate cauſarum, ſtatim adhibenda ſunt hæc aut illa præſidia. In aliis verò quæ præter rationem praua apparent, plus quiete proficiet Medicus quam mouendo & agendo; aut ſi quid agendum eſt, firmandus illi venit ægrotantis animus fiduciâ ex affectus ſecuritate conceptâ, & ſpe ſtatim ceſſaturæ perturbationis; aut ſi diutius maneat, vtilitate aliquâ moram ſuam penſaturæ: Nam deliria, ſpaſmi, dyſpnœæ aliaque ſymptomata quæ criſim antecedunt, vt breuitate innoxia ſunt, ita nec medicinæ patent; diarrheæ vero, hæmorrhoides, varices quamuis diutiùs perſeuerent, quia tamen cauent aut opitulantur maioribus malis, impune non curantur, nec metum afferre debent, niſi cum abſunt.



APHORISMVS XXVIII.

Τῶν πυρεσσόντων μὴ παντάπασιν ἐπιπολαίως, τὸ διαμένειν καὶ μηδὲν ἐνδιδόναι τὸ σῶμα, ἢ συντήκεσθαι μᾶλλον κατὰ λόγον, μοχθηρόν. τὸ μὲν γὰρ μῆκος νούσου σημαίνει, τὸ δὲ ἀσθένειαν.

Febricitantium non omnino leuiter corpus permanere & nihil minui, vel etiam plus quam ratio postulat emacrescere, malum. Illud enim morbi longitudinem; hoc verò imbecillitatem significat.



VM *docuerit superiori Aphor. Eorum quæ falso apparent bona aut praua, plurima esse fugacia, nec diu permanere, restabant alia quæ cum stabilia sint nec spem faciunt si bona, nec metum si praua. Eamobrem exemplum illorum omnium suo more dedit hìc in vna corporis mole*, quæ magis aut minus quam par est pro spatio aut vi febris aliquando minuitur. Facile enim quis ignorata hac cautione iudicaret ægrum felicius se habere qui nihil

Ordo Aph.

Sensus Aph.

emacresceret in febre moderata; aut parum illi interesse si in magnam incideret macredinem quasi analogam morbo : cum tamen vtrumque calamitosum sit. Quia nimirum illud diuturnitatem morbi significat ob corporis densitatem & crudorum humorum copiam : hoc vero imbecillitatem virium, exhausto spiritu & humido partium solidarum à maligno & cæco calore.

Ratio Aph.

Vsus trallat.

Appositum autem exemplum traduci debet ad omnes alias affectiones eiusdem generis quæ passim occurrunt in sanitate & morbis. Sic summa εὐεξία, somni profundiores, insomniorum vacuitas insolita in valetudine suspecta sunt : Sic in morbis εὐσιτία quæ ciborum est vehemens appetitus, indolentia ex amisso sensu, concoctio vrinarum cum parotide cruda, aut parotidis cum crudis vrinis & sexcenta alia eiusmodi ab Hippocrate enarrata periculum minantur, aut diuturnioris morbi ab humorum contumacia, aut desperati ab exhaustu virium.

Vsus proprius.

Vsus practicus idem est qui superioris, ambo enim easdem leges ad praxim seruare debent qui vnam componunt sententiam integram. Si autem ad exemplum propositum coerceri placet, cum causa imminuti habitus in mole corporis, posita sit in densitate cutis & crudis humoribus; illa laxabitur mollientibus & aperientibus, hi neoterismo & catharsi alternantibus expugnabuntur. Vbi vero nimium emacruit corpus ab exhausto, extinguendus est cæcus ignis refrigerantibus, reparandæ vires euchymis cibis & roborantibus partes principes firmandæ; Siccitas denique oppugnanda diætâ humectante.

APHO-



APHORISMVS XXIX.

Ἀρχομένων τῶν νούσων ἢν τι δοκέῃ κινέειν, κίνει· ἀκμαζουσῶν δὲ, ἡσυχίην ἔχειν βέλτιόν ἐστιν.

Morbis incipientibus si quid mouendum videtur, moue: vigentibus vero melius est quiescere.

ENARRRANTI *superiores Aphorismos vbi de symptomatis superuenientibus in febribus acutis, conuulsione nimirum & perturbatione critica agebatur, & obseruanti hæc omnia in statu morborum emergere, occurrit animo præceptum practicum magni vsus in curatione scilicet nihil esse mouendum eo tempore, sed si quid mouendum sit, id in principio agendum esse.*

Docet ergo primùm, in principiis morborum aliquid posse moueri, hoc est purgari, (vox enim κινέειν id præsertim significat) non tantum coactâ illa & præcipiti purgatione quam orgasmus humorum solet imperare eodem ipso die; sed liberâ & maturâ quæ in aliis casibus perficitur. Nam si Aphor. sequens continet ætiologiam præsentis, vt liquidò constat, itavt velit purgare in principiis morbo- *Sensus.*

rum, quia eo tempore omnia imbecilliora sunt; certe non potest intelligi de orgasmo in quo materia furore percita huc illuc mouetur, ruitque in varias partes, magno cum æstu & periculo. Deinde comparatione factâ catharseos quæ in principio fieri debet cum ea quæ in vigore potest institui, indicat vtramque ad eundem scopum dirigi, & proinde cum hæ vltimæ ad orgasmum non spectent, ita nec prima.

Secundò, docet posse etiam aliquid purgari in vigore; cum enim dicit, *melius esse eo tempore quiescere*, innuit tacitè bonam esse purgationem quâ datur melior quies. Sanè lib. de purgantibus, post enarrata incommoda quæ catharsim tunc temporis institutam consequuntur, vult tamen posse aliquando fieri, & prodesse: *si enim pharmaco exhibito die purgationis æger superstes manserit & vnà cum purgatione febris remittit, sanus fiet*: quæ eadem omnino est sententia quam lib. de locis in homine proposuit, vbi *in morbis periculosissimis tentare idem remedium iubet; si enim successerit, sanum facies; sin minus quod etiam alias futurum erat, idipsum perpetitur.* Sanè Erotalai filius ex copioso lacte asinino & Mnesianactus, & Cleochus ex veratro purgati in statu bene se habuerunt 7. epid.

Verùm an hæc doctrina consentiat artis & naturæ legibus, merito dubitari potest. Nam quod spectat ad initia morborum, concocta purgari oportet non cruda: cruda autem omnia sunt in principiis; ideoque in acutis, præsertimque ineunte morbo, purgatio nulla est ex vsu nisi materia turgeat, quod rarissime accidit. Deinde cum repugnante naturâ nihil medicina proficiat, quid

ſpei eſſe poteſt in eiuſmodi vacuationibus quæ naturæ vim inferunt, eamque coctioni vacantem interturbant; quæ humores imparatos & reluctantes fruſtrà elicere conantur; quæ demum frangunt vires, colliquando ea quæ morbo reſiſtunt, ardorem febris augent calore & motu à pharmacis impreſſo, & ſæpe efferatam nouâ illâ agitatione materiam morbificam in partes nobiles præcipitem agunt.

Hiſce & aliis ſimilibus rationum momentis perſuaſi quidam coërcent hanc agendi normam ad ſolum orgaſmum: ſed immeritò, vt probatum eſt; tum quia fœditatem primas vias onerantem tutò pharmaciâ educimus, præſente febre acutâ, & abſente omni humorum turgentiâ, vt lib. 2. Aphor. 9. demonſtratum eſt. Alij ad vtrumque extendunt in omni alio caſu pernicioſam exiſtimantes, itavt alui impuritas ſecure poſſit excludi, eam verò quæ febrem accendit, nullomodo eſſe tentandam, niſi cum materia turget. Sed allata Hippocr. verba maius aliquid imperant: nam ſi orgaſmus in vigore morbi nunquam occurrat, vt exiſtimant, eoque tempore periclitandum eſſe velit, ſi morbus ſit periculoſiſſimus, certe maiorem aliquam euacuationem prætendit quam quæ aluum ſolet eluere, in qua nullus periclitandi locus.

Vt ergo in re tam graui dubitandi cauſæ omnes præcidantur, aperiaturque tota mens Hipp. in hoc Aphoriſm. Prænotandum, Crudum in ſe & ex ſui natura vacuationem non impedire; nam materia turgens quæ purgationem admittit, cruda omnino eſt; Et multa in principiis morborum, quo tempore nihil concoctum ſubeſſe poteſt, ſponte

& vtiliter eijciuntur. Crudum ergo resistit pharmacis quia retinetur à natura, retinetur autem, quia habet aliquid consociale & analogum quod beneficium illius suscipere possit: Nam si ita alienum est & dissimile vt in gratiam redire cum illa non possit, cuiusmodi est humor putris aut venenum, tantum abest vt retineri, quin potius omnibus votis illud expelli natura desiderat.

Cruda autem sunt in triplici differentia: Alia enim mitigari possunt coctione, eâque opportune & secure factâ: Alia eam suscipere possunt; sed ita tardam; aut promptam quidem, sed tot prauis symptomatibus adiunctam, vt priùs vi morbi & symptomatum rapiatur æger quàm vt omnino perfici possit: Et hæc possunt dici coctionis incapacia secundum quid, scilicet in ordine ad vires. Alia verò sunt absolute talia, quæ nimirum ita cruda sunt vt naturâ suâ pepasmum omnem respuant, cuiusmodi sunt venena, humores putres aut maligna qualitate affecti.

Prima purgari non debent nisi post absolutum pepasmum, iuxta Aphor. concocta medicari oportet non cruda. Postrema cum mitigari non possint & deteriora semper fiant, statim pharmacis elidenda sunt; morbis enim incipientibus si quid mouendum videtur, moue, in vigore enim melius est quiescere, id est, satius est tentasse à principio illorum exclusionem quàm distulisse in statum morbi, in quo cum ad summum ferociæ peruenerint, magis rebelles sunt medicinæ & vires iam fractæ minus sustinent remedia. Verum ne te fallat horum succorum genius, sæpe in principiis morborum quieti manent, qui postea

ferociter erumpunt & in exitium tandem ægrum præcipitant, nisi mature detegatur eorum fallacia, & vi remediorum præuertatur eorum impetus. Hi ergo eâdem arte & cautelâ oppugnandi sunt quâ turgentes humores, eâdemque ipsâ die quâ deteguntur rapido aliquo pharmaco excutiendi, vt notauimus lib. 1.

At quæ secundo sunt in ordine, quia coctionem suscipere possunt, ideoque retineantur intus concoquenda, non possunt educi primis diebus nisi factâ vi aliquâ naturæ illa amplexanti, & rationi eorum maturationem merito expectanti. Verum vbi facto morbi aliquo progressu animaduertitur aut lentius ire concoctio; aut si tempestiue fiat, funesta excitare symptomata; Et quodlibet horum accidat, periculum esse ne vires deficiant, antequam penitus sit absoluta; Tunc certe in ipsis morbi incrementis & sub ipso etiam vigore propinandum est audacter catharticum, monente Hippocrate: cum enim morbus sit periculosissimus, periclitari oportet, & anceps potius experiri remedium quàm sine auxilio certæ morti ægrum crudeliter relinquere. Sæpe profecto accidit in febribus vt agitata materia per coctionem eructet malignos vapores in partem aliquam nobilem, vnde phrenitis, lethargus aut syncope oriatur; quam si quis purgantibus intactam velit & vltimam expectando coctionem naturæ soli committendam putet, videbit tandem ægrum cum signis coctionis consumi malignitate symptomatum, & elapsam magni præsidij occasionem frustra queretur. Ex arte igitur est vt vrgentibus eiusmodi malis, purgatione exhauriatur pars

humoris iam cocta, & auocetur à partibus nobilibus praua illa anathymiaſis : Nullum enim eſt aliud magnum remedium quô tunc ſecurè & vtiliter poſſimus vti : cum abunde iam ſatis ſanguis effuſus fuerit, nec iterum educi poſſit quin minuat vires & augeat morbum.

Fortaſſis autem ad tria illa Crudorum genera, triplicemque quam expoſtulant purgandi modum & occaſionem reſpexit Hippocrates lib. de humoribus : Vbi ait *multa eſſe purganda longe à criſi, raro multa in acutis, in delaſſatis vero totum*, hoc eſt, multa eſſe purganda initio morborum, vbi humores ſunt in orgaſmo aut in procinctu ad orgaſmum ; pauca in vigore, quia vis acuminis non patitur valida & eradicantia pharmaca, ſed ea tantum quæ minoratiua dicuntur ; in delaſſatis vero, id eſt, in declinatione, in qua iam nihil morbi ſentitur præter laſſitudinem, tota quæ remanet affectus cauſa penitus exhaurienda eſt, nimirum quia cruda tunc temporis ſunt omnino concocta.

Obiecta autem prius, ſic effringenda ſunt. Cruda purgari non debent in principijs, niſi materia turgeat vel vrgeat, hoc eſt orgaſmo præſente vel ſtatim futuro. Natura non repugnat catharſi humorum qui pepaſmum reſpuunt : Nec auertitur à pepaſmo qui nunquam fiat : Aut merito auertitur ſi ſecurè non fiat. Vires quidem minui poſſunt & febris augeri; verum ex duobus malis minus eligendum eſt, præſtatque per hæc incommoda valetudinem quæri, quam ſine his in perniciem ruere. Ita dato pharmaco metus eſſe poteſt præcipitandæ in partes nobiles materiæ mor-

bificæ, at non dato, imminet idem periculum: in illo ſpei aliquid ex arte, in hoc vix quicquam ex natura eſſe poteſt. Quæ demùm afferri poſſunt ex Hippocrate 4. acut. 22. damna temerariæ purgationis in inflammationibus recenſente, intelligenda ſunt de affectibus inflammatorijs hypochondiorum de quibus illic agit, & in quibus non ſunt liberæ viæ ad catharſim; non verò aliarum partium, vt cerebri pulmoniſve: vrgente enim neceſſitate & præcipiente Galeno 2. Aphoriſmo. 23. aliquando in his curatio à purgatione incipienda, quemadmodum in pleuritide deſcendente præſtitit Hipp. Sed de his ſatis, cætera quæ ad idem argumentum ſpectant, videantur lib. 1. Aphor. 22. & 23. & lib. 2. Aphor. 9.

Hic autem Aphoriſmus non de ſola purgatione quæ catharticis perficitur, intelligendus eſt; ſed de omni alia euacuatione quæ aut venæ ſectione aut ſudorificis, alijſque eiuſmodi remedijs abſolui poteſt. Sed præſertim vellem hoc præceptum acuratius annotari à noſtris medicis qui morbis etiam vigentibus tam audaces ſunt in mittendo ſanguine: Si enim melius ſit eo tempore quieſcere, ne deijciantur vires & opus naturæ interturbetur, vix fieri poteſt quin ſæpius peccent in hanc legem, qui ſæpius tunc eiuſmodi remedio vtuntur. Verum ſuper hac re iam ſępe noſtrum aperuimus conſilium. *Vſus tral-lat.*

Porro, præſtat in vigore morbi quieſcere triplici de cauſa. 1. quia facultas eo tempore imbecillior tum ab intemperie, tum ab exhauſtu, non debet nouo aliquo labore agitari. 2. quia natura coctioni incumbens non eſt ab opere reuocanda. 3. quia coctio ipſa quiete perficitur, & motu turbatur. *Ratio Aph.*



APHORISMVS XXX.

Περὶ τὰς ἀρχὰς καὶ τὰ τέλη πάντα ἀσθενέστερα, περὶ δὲ τὰς ἀκμὰς ἰσχυρότερα.

Circa initia & fines omnia imbecilliora, circa vigorem omnia fortiora.

Ordo Aph.

Sensus Aph.



AITIOLOGIAM *superioris continet hic Aphor.* Quod enim mouendum est, præstat moueri ineunte & declinante morbo, quia tunc omnia imbecilliora & facilius cedunt remedijs: Quemadmodum melius est quiescere eo vigente, quia eo tempore omnia sunt vehementiora & quemlibet artis conatum eludere possunt. Nomine autem *omnium* intelligit causam morbi, morbum ipsum & illius symptomata, quæ omnia in statu asperiora sunt, in principio & fine leniora.

Sed quare causa imbecillior est ineunte morbo, cum sæpius eo tempore maiori copiâ circumfluat, nec adhuc mitigata fuerit à natura? Certe id fit quia tunc non omnino secreta est ab vtilibus succis qui illius vim retundunt: humores enim soluti ab alijs, suique iuris aliquomodo facti, vires,

vires suas exerunt, & quò purius aut citius secernuntur, eò etiam maiores & celeriores promunt effectus: vt patet in eorum orgasmo, & in acutissimis morbis qui statim extremos labores habent. Porrò cum morbus & symptomata sequantur efficaciam causæ, nihil mirum si imbecilliora sunt vbi hæc languida adhuc & infirma iacet, & vehementiora euadant eâ viribus auctâ.

Quamuis autem ob rationem allatam hic Aphorismus videatur pars esse præcedentis, nec proinde ab eo distrahi debuisse; attamen quia ad alia spectat, & plures alios vsus habere potest; iure ab eo diuulsus propriam sibi sedem vindicauit.

Nihil enim est in rerum natura tempori obnoxium, atque ortus & interitus capax quod huius effati veritatem non comprobet; In plantis, in animalibus, in vita hominum, circa initia & fines omnia imbecilliora, circa vigorem fortiora. Neque est ad solam naturæ contemplationem, sed ad artis etiam operas vtilis obseruatio; sine qua medicamentorum vires & corpora remediis æqualia dignosci minimè possunt: Nam sicut nascentibus & marcescentibus plantis virtus imbecilla est, ita pueris & senibus corpus infirmum magnorumque remediorum impatiens: vegeta rerum ætas sola est quæ efficaciam viribus præbet & firmitatem corpori pro tolerandis laboribus. *Vsus tralatitius.* 1.

Vsum etiam habere potest in prognostico decernendo: cum enim omnia imbecilliora sint circa initia, non est metienda vis morbi lenitate illa quam initio demonstrat, nec æger fallendus spe similis in toto illius decursu tranquillitatis: sed expectanda est tempestas quam status excitare so- 2.

M

let, indicandaque ægro, ne conturbetur ſi inopinatò acciderit, iniecto etiam periculi metu, ſi forte nimia ſecuritas improuidum aut indocilem reddiderit.




APHORISMVS XXXI.

Τῷ εὐσιτέοντι ἐξ ἀῤῥωστίης μηδὲν ἐπιδιδόναι τὸ σῶμα, μοχθηρόν.

Eius qui à morbo bene cibum capit nihil proficere corpus, malum.

Ordo Aph.



Acilis *fuit deſcenſus à fine morborum ad conualeſcentes; qui in eo ſunt ordine, aut ſaltem in proximâ illius viciniâ.* Cum autem hic Aphoriſmus idem penitus ſit cum octauo, non ita facile eſt conijcere quam ob cauſam ab Hippocrate hùc iterùm adductus fuerit: Nam quamuis diuerſi inter ſe multis videantur ob lectionis varietatem, in illo enim legitur ἐκ νούσου, in hoc ἐξ ἀῤῥωστίης; in illo λαμβάνων τροφὴν in hoc εὐσιτέων; illic μὴ ἰσχύῃ: hîc μηδὲν ἐπιδιδόναι: ſi quis tamen hæc verba accurate perpendat, eundem ſenſum vtrobique inueniet. Immò licet quædam in illis annotaretur diuerſitas, non tanta eſt vt breuitatis ſtu-

diosissimus author qui vno theoremate res magis discrepantes coërcere solet, voluerit tam leui de causâ in duos Aphorismos distrahere quod vnico comprehendi potest.

Omissis itaque aliorum coniecturis existimamus eandem esse sententiam quam octauo loco supra posuerat, quamque hîc repetere voluit, vt cautionem & exceptionem præcedentis, quasi diceret; In fine morborum omnia quidem leniora; verum fallax est eiusmodi lenitas, si corpus ex alimentis rite assumptis non confirmatur: Signum est enim statim regressuri morbi, vt fusius enarrauimus citato loco; vbi videre est quinam sit cibus de quo intelligendus venit Hippocrates & quis vsus ex hoc Aphorismo elici potest. *Sensus Aphor.*

Hanc autem fuisse mentem Hippocratis, ex eo conijci posse videtur quod octauo Aphorismo asseruerit, *non confirmari corpus ex alimentis signum esse* πλείονι τροφῇ χρέεσθαι *pluri alimento vti*; quia nimirùm de refectione Conualescentium loquebatur, indicabatque quid in eo casu faciendum esset: hîc vero dicat μοχθηρὸν *malum signum esse*, vt pote qui nihil agendum præciperet, & solâ prognosi firmare aut temperare vellet sententiam proxime allatam.



APHORISMVS XXXII.

Ὡς τὰ πολλὰ πάντες οἱ φαύλως ἔχοντες κατ᾽ ἀρχὰς μὲν εὐσιτέοντες, καὶ μηδὲν ἐπιδιδόντες, πρὸς τῷ τέλει πάλιν ἀσιτέουσιν· οἱ δὲ κατ᾽ ἀρχὰς μὲν ἀσιτέοντες ἰσχυρῶς ὕστερον εὐσιτέοντες, βέλτιον ἀπαλλάσσουσιν.

Omnes fere qui male se habent circa initia bene cibati, & nihil edendo proficientes, circa finem inappetentes fiunt: Qui verò initio nihil omnino appetunt, paulò post edendi appetentes sunt, ij meliore sunt loco.



Anifesta est huius sententiæ cum superiori connexio, nam præterquam quod de eodem argumento agit, explicat quo tempore magis aut minus malum sit conualescentibus, ex cibis non proficere.

Ordo Aph. Duas autem habet partes, Quarum prima indicat

plurimos eorum qui initio cibos auide capiunt nihil inde proficientes, ad inappetentiam postea venturos; quia scilicet multam contrahunt cacochymiam coctione læsa ob imbecillitatem ventriculo relictam à priore morbo, & oppressionem à nimia copia ciborum. Contrà eos qui nihil omnino appetunt ob succum aliquem putridum circa os ventriculi oberrantem, vel ob reliquias caloris febrilis fastidium parientis, postea appetitum recuperaturos, restituto ventriculo. *Sensus. 1. partis. Ratio.*


Secunda comparat inter se vtrumque statum, docetque posteriorem esse tutiorem: Nimirum quia fit ex solis reliquijs morbi jamjam domiti; prior vero ab accessione nouæ cacochymiæ & nouæ ægritudinis. Tum quia illic tutior & facilior curandi ratio; hîc magis anceps & maioris laboris. *Sensus. 2. part. Ratio.*

Vsus apertus huius Aphorismi in prognosi sola consistit: verum ex eo vsus practicus, facile deducitur. Nam si habeatur ratio prioris status, cum oriatur ab intemperantia ægrorum qui præmature se liberalius inuitant, prudentis est medici initio cohibere eiusmodi impetum, iniectâque formidine periculi hinc oriundi, ita diætam instituere, vt sufficiat exhausto, nec vires oneret, atque vt ait Hippocrates ἴσος ἴσῳ æqualis æquali fiat. Quod si per animi impotentiam astringi non possint hisce legibus, & genio suo omnimode indulgere velint, corrigenda erit frequenti purgatione hæc intemperantia; vt nata hinc fæditas quæ inappetentiam postea adduceret, ipsamque sanguinis massam tandem inficere posset, per interualla eluatur. Verum facilior & securior est *Vsus apertus. Vsus occultus prior.*

medendi via in alio ſtatu: parua enim cura adhibenda erit in victus regimine, cum ob deiectum appetitum error in eo vix fieri poſſit: Et ſi calor relictus à febre faſtidij cauſa fuerit, quiete ſolâ forſan extinguetur: Itaut nullus hic fere remedijs detur locus, niſi vbi putres quidam humores os ventriculi infeſtant, quos catharſis facile deijciet.

Vſus tral-lat. Hoc præterea exemplo docemur, Nullum naturæ præcipitem motum ſecurum eſſe: nam quamuis proſpera habeat initia, infauſtos ſemper habet exitus; eoque maiora ſecum trahit incommoda, quò celerius anticipat ſuas periodos. Itavt verum ſit quod aiunt Chymici de ſuo magiſterio, feſtinationem non eſſe opus NATURÆ: hæc enim ſtata habet tempora quæ iuſto tenore decurrit, quandiu libera eſt & ſui potens; quæque ſi interturbari oportet, tarda ſecurius attingit quam præpropera. Sane in morbis motus critici qui anteuertunt dies à natura præſcriptos, perniciem afferre ſolent aut morborum recurſus: ſic icterus ante ſeptimum, aut ſubſtillum quarto die, aut rigor ſexto ſuperueniens, & vt vno verbo dicam, omnes quas natura præpoſtere molitur euacuationes, eadem pericula minantur.

Neque in morbis ſolùm hoc verum comperitur, cum nihil fere ſit in tota rerum vniuerſitate in quo idem experiri non poſſimus. Nam corpora omnia quo citius abſoluuntur, eo etiam citius ad exitum properant; ingenia ipſa præcoqua frugem præueniunt, & ibi fatiſcunt.



APHORISMVS XXXIII.

Ἐν πάσῃ νούσῳ τὸ ἐῤῥῶσθαι τὴν διάνοιαν καὶ εὖ ἔχειν πρὸς τὰς προσφορὰς, ἀγαθόν· τὸ δὲ ἐναντίον, κακόν.

In omni morbo mente constare & bene se habere ad ea quæ offeruntur, bonum; contrarium vero malum.

NVLLVS interpretum, & fortassis nullus Medicorum est, qui non existimet duo hîc proponi signa quæ semper in morbis salutaria sunt, siue coniunctim, siue separatim appareant; Scilicet ægrum mente constare, Et ad oblata bene se habere; vtpote quæ indicent robur earum facultatum quarum potentiâ totum corpus gubernatur. Verum si verba præceptoris, si nexus huius Aphorismi cum superiori, si res ipsæ attentius animaduertantur, toto cælo aberrare eos ab Hippocratis scopo & à veritate perspicuum fiet. Cum enim asserat in omni morbo ἐν πάσῃ νούσῳ bonum id esse, mentis autem firmitas in multis affectibus nihil omnino intersit ad sanitatem, & sæpe ea vis animi micet & splendeat, cum jam omnia conclamata sunt;

certissime patet ad eam non referri illud τὸ ἀγαθόν, nec proinde hîc fuisse positam vt signum aliquod proprium quo res ægrorum prosperæ indicari possint. Tum quia si facultatis alicuius principis meminisse oportuit, præferenda erat vitalis cuius robur aut infirmitas maius habet momentum ad salutem aut ad mortem, quam animalis.

Ordo Aph. *Ego itaque in ea sum opinione Hippocrati proxime de appetitu ciborum loquuto, facillime in memoriam venisse aliud de eodem prognosticum*, scilicet bonum esse in omni morbo eam appetitus constitutionem qua bene se habet ad ea quæ offeruntur; id est quâ appetit aut saltem non auersatur cibum potumve; *Ratio Aphor.* indicat enim ventriculum ab omni prauo humore vacuum ingesta amplecti & coquere, proindeque tutum fore nutricatum, eoque vires morbo expugnando dicatas sustineri posse. Verum quia contingere potest, vt bene se habente appetitu æger errore mentis oblata respuat, aut eodem male affecto cæcè & temerè illa assumat, adiunxit mentis constantiam, vt conditionem sine qua fallax esse posset eiusmodi ob-*Sensus & vsus Aph.* seruatio: Itavt sensus Aphorismi sit, In omni morbo bene se habere ad ea quæ offeruntur bonum esse, modo æger in potestate mentis sit, nec id accidat rationis vitio. Contrarium vero, scilicet constante mente male se habere ad oblata, perniciosum esse. Nam contrarietas illa non cadit in conditionem appositam, itavt malum sit in omni morbo mentem aberrare; quamuis enim hoc forte verum sit, hîc tamen esset inutile ad firmandam prognosim quæ ad facultatis naturalis vires dignoscendas dirigitur: Cum male se habere

ad

ad oblata ob errorem mentis, nullum metum afferat de facultatis naturalis, ventriculique ſtatu, ſed tantum vbi hoc ſymptoma apparet integrâ manente ratione.

Plures autem aliæ inſtitui poſſunt eiuſmodi prædictiones in quibus princeps illa facultas apponitur tantùm vt conditio adiuncta præcipuo affectui. Sic, in omni morbo mente conſtare & reſpirationem bene ſe habere, bonum eſt; contrarium verò nimirum mente conſtare & reſpirationem male ſe habere, perniciosum. Sic, in omni morbo mente conſtare & corpus rite & conuenienter decumbere, ſalutare eſt; contra mente conſtare & corpus indecore decumbere, funeſtum. Hæc enim firmitas mentis oſtendit an reſpiratio & corporis decubitus propria vi an alienâ bene vel male ſe habeant; cùm moderatam reſpirationem error mentis tardam aut citam efficere poſſit, vel quæ tarda aut cita eſt, moderatam reddere, ſaltem per aliquod tempus: Quemadmodum poteſt contrahere vel extendere artus, qui ſibi relicti proprium ſitum aſſumerent à quô certum indicium trahi poſſet de ſtatu virium, quod incertum omnino eſt, vbi ſubeſt error mentis. *Vſus tralatus.*

Quicquid ſit, præceptum practicum quod ex hoc Aphor. poteſt deduci, illud eſt. Si ad oblata male ſe habeat æger ob vitium ventriculi cacochymiâ laborantis, illi prouideatur benignâ aliqua euacuatione, vt factâ cibis liberâ tutâque viâ, ſeruari poſſint vires, quas in impuro corpore alimenta deijciunt, tantum abeſt vt illas ſuſtineant. *Vſus proprius.*



APHORISMVS XXXIV.

Ἐν τῇσι νούσοισιν ἧσσον κινδυνεύουσιν οἷσιν ἂν οἰκείη τῆς φύσιος, καὶ τῆς ἡλικίης, καὶ τῆς ἕξιος, καὶ τῆς ὥρης ἡ νοῦσος, ἢ μᾶλλον ἢ οἷσιν ἂν μὴ οἰκείη κατά τι τουτέων.

In morbis minus periclitantur quorum naturæ, ætati, & habitui, & tempori congener est morbus, quam quibus nulla ex parte congener est.

Ordo Aph. ERISIMILE *est Hippocratem asserentem prauum signum esse in omni morbo mente aberrare, meminisse quorundam hominum qui ob ingenitum temperamentum solent leuibus etiam in febribus statim delirio tentari, citra magnum periculum; atque hinc theorema vniuersale proposuisse pro omnibus morbis qui familiares & analogi sunt naturæ cuiusque propriæ.*

Ratio Aph. Quicquid sit morbi congeneres minus periculosi sunt, quia minores, & tutius curantur. Minores quidem sunt, quia minus recedunt à natura: Morbus enim cum nihil sit quam ab illâ recessus, minor erit vbi minùs recesserit:

Tutiùs vero curantur, quia remedia poſtulant *Senſus Aphor.*
temperatiora & corpori amiciora. Certum enim
eſt Analogiam morborum de qua hic ſermo,
ſitam eſſe in ſolis qualitatibus primis; itavt ve-
rum ſit morbos calidos qui in corpora calida
incidunt, minus eſſe periculoſos quam ſi fri-
gidiora corripiant; & ita de frigidis, humidis
ſiccisve ſentiendum eſt. Vbi vero analogia aliò
ſpectat, quemadmodum ſi ad conformationem re-
feratur, tantum abeſt vt morbi hac ratione con-
generes minus ſint periculoſi, quin potius magni-
tudine & difficultate curandi longe alios ſupe-
rant. Sic qui conformatione πτερυγώδεις ſunt &
naturâ vergunt in tabem, periculoſiùs laborant
ſi hoc morbo prehendantur licet congeneo, quam
alij qui minus ad illam parati ſunt. Eadem eſt
ratio epilepſiæ, calculi, aliorumque morborum,
qui à parentibus in filios diſſeminantur, & qui
antequam erumpant, naturæ cognati & familiares
quodammodo dici poſſunt. Illi ergo morbi qui
conſimiles ſunt temperamento natiuo aut aſciti-
tio ab ætate, καὶ τῆς ἕξιος καὶ τῆς ὥρης, id eſt vitæ ge-
nere, cælique ſtatu, magis temperata & amica
poſcunt remedia; quia nimirum temperies vult
conſeruari ſimilibus; ideoque quamuis contraria
debeantur morbo, ſic tamen attemperanda ſunt
vt in illum quidem agant, ſed temperiem mini-
me euertant. Ita ſi feruidum iuuenem corripiat
febris ardens, non adhibenda erunt ea medica-
mina quæ potentiſſimâ extremâque vi refrigerent,
ſed imbecilliora multò quàm ſi temperamento fri-
gidiorem prehendiſſet: Seruatâ nimirum illa ὑπο-

νιαντιώσει quam in remediis ſupra laudauit Hipp. quæque ſi aliàs ſemper, hic tamen potiſſimum inſtituenda eſt ad temperamenti tutelam.

Vſus Aph. Atque hæc eſt cautio practica quam ex hac prognoſi haurire licet, quæque ampliſſimi & frequentiſſimi vſus eſt in omnibus morbis ſeu totum corpus ſeu partem eius aliquam occupantibus: in his enim expellendis ſumma cura ſemper habenda eſt temperamenti; nec parti natura frigidiori nimium calida, aut ſicciori humidiora temere admouenda, ſed talia eligi debent, aut artis induſtriâ ita parari, vt morbo contraria ſint, & naturæ minimùm aduerſentur.

Cautio. Non eſt autem prætereundum, morbos congeneres, quamuis tutiùs ſemper, non tamen faciliùs ſemper curari: hoc patet in morbis frigidis qui ſi frigida corpora occupauerint, longiores multo euadunt; hincque fit vt raucitates & grauedines non mitificentur in ſenibus, omneſque alij diuturni affectus illis commoriantur.





APHORISMVS XXXV.

Εν πάσι τῇσι νούσοισι τὰ περὶ τὸν ὄμφαλον καὶ τὸ ἦτρον παχὸς ἔχειν βέλτιον ἐστί· τὸ δὲ σφόδρα λεπτὸν καὶ ἐκτετηκὸς μοχθηρόν. ἐπισφαλὲς δὲ τὸ τοιοῦτον πρὸς τὰς κάτω καθαρσίας.

In omnibus morbis ſi craſſum abdomen fuerit, melius eſt; contra quando valde tenue valdeque conſumptum, calamitoſum; tale enim eſt periculoſum ad infernas purgationes.



Ix fieri poterat vt tam multa de victu ægrorum & conualeſcentium loquutus, abdominis vbi ciborum eſt officina non meminiſſet; propoſitiſque rebus præter naturam quæ congeneres aut degeneres ſunt, rerum naturalium ad hoc caput ſpectantium nullam faceret mentionem. Craſſities autem propria eſt & οἰκείη τῆς φύσιος *abdomini, extenuatio vero aliena eſt & votis naturæ penitus contraria.* *Ordo Aph.*

Abdomen craſſum, hoc eſt ſucci plenum car- *Senſus Aph.*

ne ſcilicet & moderatâ pinguedine refertum, ſalutare ſignum præbet in omnibus morbis, eo quod fidem faciat facultatem naturalem & partes nutritioni dicatas in officio ſuo eſſe, vimque febris aut leniorem eſſe aut eas non attingere. Contrà extenuatum, præterquam quod coctionem deteriorem non ſolum arguit, ſed etiam efficit, ablato iis partibus ſuo ſtragulo quo eorum calor fouebatur; plerumque ſignificat totam hanc regionem vaſtari incendio febrili carnes colliquante & humidum omne abſorbente.

Ratio Aph.

Vſus apertus.

Huic prognoſi addidit Hippocr. præceptum practicum ſcilicet ita affecto abdomine non eſſe tutas per inferiora purgationes: quia cum alui ſubductionem promoueat, non modo calor humidus excrementa fluida & vias laxas efficiens, verum etiam muſculi abdominis validâ contractione materiam in inteſtinis morantem ad exitum vrgentes; vbi extenuatæ ſunt & aridiores factæ partes abdomini ſubſtratæ, indurantur excrementa, ſtringuntur viæ, & muſculi impotentes fiunt: itavt excretio vix fieri poſſit, niſi vehementioribus catharticis, quæ priora mala augent & reliquias natiuæ humiditatis exhauriunt.

Præter hæc autem documenta quæ prima Aphoriſmi lectio cuilibet exhibere poteſt, alia detegit altior illius meditatio.


Vſus trallatitius 1.

Primo enim ſub illa abdominis conſtitutione comprehendi debent aliæ quæ tactu etiam percipiuntur, vt mollities, durities, æqualitas, inæqualitas, meteoriſmus. Cum enim benè aut malè affecta viſcera optimum aut infelicem natuturalis œconomiæ ſtatum oſtendant, eandem vim

habent ad ſalutem, aut ad perniciem indicandam, ac craſſities aut extenuatio illius partis.

Secundo, admonet Medicos, vt in omnibus morbis totum abdomen manu tentent, nec prætereant vnquam tanti momenti obſeruationem quâ quantæ ſint facultatis naturalis vires, & quæ corpora ad purgationes apta deprehenduntur; ſic enim minus fallentur, vt ait, 2. prorrh. τῇσι χερσὶ ψαύσαντα τῆς γαστρὸς καὶ τῶν φλεβῶν, ἧσσόν ἐστιν ἐξαπατάσθαι, ἢ μὴ ψαύσαντα. 2.

Præterea non minoris eſt vſus in ſanitate quam in morbo. Si quis enim valetudinem alicuius curat, eamque aut integram conſeruare, aut abantem ſuſtinere velit, id vix conſequi poterit inconſultâ atque intactâ hac parte, quæ declarat qualiſnam ſit hyparxis viſcerum nutritiorum, quales ſucci ab ijs generentur, & quod ſummi ponderis eſt in prophylaxi, quænam corpora validas aut lenes, lentas rapidaſve, raras aut frequentes purgationes tolerare poſſint. Certum enim eſt in ſano etiam homine ſi abdomen valide extenuatum fuerit, periculoſas eſſe τὰς ἄνω καθαρσίας: quod intelligendum tamen venit de rapidis illis & validioribus quæ tempore Hippocratis in vſu erant; nam quæ lenientibus noſtris medicamentis perficiuntur, ſecure inſtitui poſſunt in tali corporis habitu, ſi valetudini opus ſit eiuſmodi auxilio. 3.



APHORISMVS XXXVI.

Οἱ ὑγιεινῶς ἔχοντες τὰ σώματα ἐν τῇσι φαρμακίῃσι καθαιρόμενοι ἐκλύονται ταχέως, καὶ οἱ πονηρῇ τροφῇ χρεώμενοι.

Qui sano sunt corpore dum pharmaciâ purgantur, celeriter exoluuntur atque hi qui prauo victu vtuntur.

Ordo Aph.



ROPOSITO *periculo purgationis vbi abdomen extenuatum est, alias adducit corporis constitutiones quibus incommoda & grauis est catharsis.*

Sensus Aph.

Purgationes igitur damnat in sanis, iisque qui prauo victu vtuntur, eo nomine quod vtrisque celerem exolutionem inferant. Quæ tamen intelligenda sunt de validis purgationibus & de victu qui non modo vitiosis, sed etiam imbecillibus alimentis paratur: Nullus enim metus exolutionis esse potest à leui pharmacia: Et quæ à validâ timetur in prauo victu, æque expectanda est vbi quis se debilibus cibis, quamuis cæterà laudabilibus sustentauerit, ac si vitiosis vsus esset.

Nam

Nam cum ea ſit natura imbecillium alimentorum vt parum nutriant & fluidiores humores generent, fiantque illinc vires exiguæ, hinc infirmæ; neutræ poſſunt vehementia ſuſtinere cathartica citra exolutionem: Illæ quidem quia fouentur pauco calore qui facile diſſipari poteſt; hæ quia affixæ ſunt ſuccis tenuioribus qui ſtatim diffluunt & reſoluuntur. At qui prauis cibis ſeſe aluerint, quia habent vires infirmas non ſolum à defectu nutricatus, ſed etiam à corruptela humorum, facillimè etiam exhauriuntur vehementiâ catharſeos. Sana verò corpora eidem periculo obnoxia ſunt ob maximum conatum naturæ medicamento reluctantis & ſuccos ab eo tentatos retinentis; tum ob vim pharmaci partes ſolidas & ſuccos nutritios labefactantem. In illa enim pugnâ ſi victrix natura ſuperſit, purgatio pauca fit, ſed cum multo labore, vt ſequenti Aphoriſmo docebitur: Si victa, humores ſoluti ſuis vinculis effuſe ruunt quo trahuntur, fitque hypercatharſis, vnde exolutio. *Ratio Ap.or.*

Hinc primo patet, Sana corpora non eſſe validis catharticis tentanda, nec ea ipſa quæ ex prauo victu in cacochymiam inciderint: Nam quamuis impuritas illa purgationem expoſtulet, non vno impetu, nec pari remedio aggredienda eſt, ſed partitis vicibus & temperatâ auxiliorum potentiâ. Iis vero qui imbecillibus cibis vſi ſunt, rapida omnis & vehemens pharmacia funeſta eſt, nec aliam pati poſſunt quam quæ clementioribus perficitur. *Vſus prorius* 1.

Secundo, quamuis Hippocrates videatur coercuiſſe hunc Aphoriſ. ad eos quibus redux eſt & 2.

O

reſtituta valetudo à morbo nupero; tum quia hic liber totus eſt in recenſione eorum quæ fiunt aut fieri debent poſt criſim; tum quia hæc exolutio à pharmaciâ facilius & frequentius incidit in corpora prægreſſi morbi laboribus iam fracta; attamen certum eſt de iis etiam qui ſanitate primigenia fruuntur, intelligi debere, cum eadem ſit amborum ratio & vtrique pateant iiſdem exolutionis cauſis.

3. Hinc etiam trahitur argumentum ſalutaris conſilij, quo prudens Medicus incautos, aut intemperantes in victu deterrere poterit ab vſu prauorum, aut imbecillium alimentorum. Nam cum diù in illo manere non poſſint, quin praua multam inducant cacochymiam, & imbecillia vires deijciendo corpus omnibus iniurijs obnoxium reddant; ſi mature admoneantur de purgatione tandem neceſſariò inſtituendâ & citra periculum exolutionis vix exercendâ, poterunt metu tam horrendi ſymptomatis reuocari à prauâ illa viuendi ratione.

Vſus tralatitius. Verumetiam ſi pharmacia tam celeriter exoluat eiuſmodi corpora, nonne traduci poteſt hic Aphoriſmus ad omnes alios animi aut corporis labores quibus vires diſſipari ſolent, & Theorema vniuerſale conſtituere quo doceamur, omnes qui prauâ diætâ vtuntur, pronos eſſe in exolutionem à quacumque causâ vires elidente? Sane ſi magnis animi pathematis afficiantur, ſi acrioribus exercitijs ſeſe dederint, ſi ſeſe ſudori permiſerint pertinaciori, facile & celeriter exoluuntur.

Huc etiam pertinent quæ enarrauimus ad Aphoriſmum 5. ſect. 4. Vbi ſub cane & antecane purga-

tiones difficiles esse monuit ὑπὸ κύνα καὶ πρὸ κυνὸς sic enim legendum est, vt notauimus eo loci, aliàs enim si communis lectio seruetur πρὸ κυνὸς ante canem, vaga nimis fiet sententia quæ ad quoddam tempus certum definiri debuit: oritur autem procyon seu antecanis vt Cicero loquitur, aliquot diebus ante canem.



APHORISMVS XXXVII.

Οἱ εὖ τὰ σώματα ἔχοντες φαρμακεύεσθαι ἐργώδεες.

Quibus sana sunt corpora ijs purgationes difficiles sunt & laboriosæ.

RECENSET *aliud incommodum quod sanis infertur à Catharsi, non enim solum est periculosa ob exolutionem, sed etiam difficilis & laboriosa, vtrumque enim verbum* ἐργώδεες *insinuat.* Est autem difficilis, quia pauca euocat retinente naturâ succos; laboriosa vero ob anxietatem & dolorem à colliquationis profluuio in ventriculum & intestina delabente, & ob febrem quæ sæpius excitatur ab agitatione spirituum & irritatione facultatis vitalis. Seiunxit autem hanc sententiam à priori Aphoris- *Ordo Aphor.* *Ratio Aphor.*

mo, ad quem pertinere videbatur, quia ſanis corporibus adiunxerat ea quæ prauo victu vtuntur; in quibus catharſis periculoſa quidem eſt ob exolutionem, ſed non ſemper difficilis & laborioſa.

Senſus Aph.

Fortaſſis etiam alio Aphoriſmo de ſolis conualeſcentibus loquutus eſt qui ὑγιαινῶς ἔχουσι quia morbo defuncti ſunt, ſed qui adhuc εὖ τὰ σώματα non habent ob infirmitatem ab eo relictam; hôc vero de perfecte ſanis, qui longa vſi valetudine corpora habent firma & robuſta. Itavt ſit confirmatio ſuperioris ducto argumento à minori ad maius; quaſi diceret, Si in primigenia ſanitate, vbi integræ ſunt vires, hæc accidunt ſymptomata, tanto magis expectanda ſunt in reſtitutâ quæ eas habet attritas à priori morbo.

Vſus occultus.

Quicquid ſit, hiſce obſeruationibus admonentur ij qui felici & ſecurâ ſanitate fruuntur, ne eam interturbent non ſolum validis quibuſcumque remedijs; verum etiam acrioribus & inſuetis alijs motibus. Quod enim de Malo bene vt aiunt poſito paſſim iactatur, de Bono etiam verum eſt, nullomodo eſſe mouendum. Nullâ tamen in re frequentius peccant homines quibus hoc ſummum naturæ beneficium conceſſum eſt: Nam intempeſtiuis laboribus, crapulâ, venere & omni aliâ intemperantiæ licentiâ valetudinem conuellunt, accelerantque aut mortem, aut ſenectutem ſuis omnibus malis ſtipatam.

Trallat



APHORISMVS XXXVIII.

Τὸ σμικρῷ χεῖρον καὶ πόμα καὶ σιτίον ἥδιον δὲ, τῶν βελτιόνων μὲν, ἀηδεστέρων δὲ, μᾶλλον αἱρετέον.

Cibus aut potus paulo deterior, ſuauior tamen melioribus quidem, ſed inſuauioribus eſt anteponendus.



INDICATIS *iis quæ grauia & moleſta ſunt, grata & commoda memoriæ ſtatim occurrere: atque à purgantibus ad cibos neceſſarius tranſitus huic Aphoriſmo facilem aperuit viam.* *Ord. Aph.*


Cibus qui gratior eſt ægrotantibus & conualeſcentibus (de his enim loquitur) quamuis paulo deterior ſit, iis tamen aliquando concedi poteſt; Non ſolùm quia ſuauitate languentem appetitum reficit, naturamque ſæpe ita recreat vt alacrius deinde morbi reliquias aggrediatur & conficiat; verùm etiam quia aliquid condonandum eſt ægris vt faciliùs poſtea imperata exequantur. *Ratio Aph.*

Vtiliſſimum præceptum Medicis illis moroſis qui ita aſperè cum miſeris ægrotantibus agunt, vt *Vſus proprius.*

longo ingratissimæ diætæ tædio marcentes nolint recreari vllo cibi aut potus oblectamento; eaque ipsa quæ sępe innocua sunt quamuis efflictim optata temere recusent. Nesciunt profecto quàm sæpe Hippocrates monuerit gratificandum esse ægrotantibus; quàm sæpe hæc indulgentia inexpectatò profuerit; ET quod caput rei est, quàm sæpe natura arte doctior feratur in ea quæ arcano quodam consensu sibi amica & salutaria sunt.

Verum si infirmis eiusmodi cibus permittitur, libentiùs multo & securiùs concedi potest bene valentibus; Illius enim vitium naturæ vis fortior emendabit, & gratior cum sit, arctiori amplexu ventriculi felicius concoquetur, maioremque acquiret reficiendi facultatem.

Vsus trallat. Transferri etiam potest ad exercitia quæ licet paulo minus valetudini seruiant, si placeant magis, anteponenda sunt multo salubrioribus; quia & alacriùs suscipiuntur & minus animum corpusque fatigant: Mirum est enim quantam vim habeat ad sanitatem animi alacritas, quæ spiritus excitat & arrigit, & ad munia sua, hoc est ad omnes animæ functiones & operas promptiores & vegetiores habet: Contra vbi natura inuitùs aliquid aggreditur, reluctantes etiam spiritus trahit ad opus qui statim postea laxati fatiscunt & resoluuntur, vnde functionum omnium totiusque corporis langor.



APHORISMVS XXXIX.

Οἱ πρεσβῦται τῶν νέων τὰ μὲν πολλὰ νοσέουσιν ἧσσον, ὁκόσα δὲ ἂν αὐτέοισι χρόνια νοσήματα γένηται τὰ πολλὰ συναποθνήσκει.

Senes iuuenibus vt plurimum minus ægrotant, sed quicunque diuturni ipsis eueniunt morbi fere commoriuntur.



QVIA *in præscribendis tot legibus & cautionibus ad rectam victus & purgationis institutionem debuit sæpe diuersam ætatum constitutionem animo circumspexisse, in recenti illius memoria hunc Aphorismum scripsit, in quo docet*; Senes minus ægrotare iuuenibus quia morbis acutis minus patent, quibus obnoxios iuuenes reddit temperamentum & vitæ intemperantia. At si incidant in morbos diuturnos, ijs raro defunguntur ob virium imbecillitatem, densitatem corporis & humorum con tumaciam. *Ratio.*

Monet ergo iuuenes vt consulant valetudini in maiora & frequentiora pericula pronæ: Senes, vt *Vsus prius.*

ſecuri ab iis viuant; & ad tædia peioris ætatis lenienda meminerint tutam eam eſſe à magnis corporis & animi tempeſtatibus, quibus iuuentus agitari ſolet. Nam de animi Morbis intelligi debet hæc ſententia æquè ac de corporis affectibus: cum certiſſimum ſit ſenectutem vacuam eſſe à vehementibus illis pathematis quibus iuuenes perpetuo fere iactantur; eaque ſola pati quæ frigiditati natiuæ reſpondent, vt triſtitiam, liuorem, auaritiam: quique non ſecus ac morbi diuturni illis commoriuntur.

Vſus tralat. 1.

Vſus proprius. 2.

Verum monitos etiam vult Medicos ne ſenibus in hæc mala lapſis temere ſpem faciant ſanitatis reſtituendæ; doceant ſolùm eiuſmodi morborum fatum illud eſſe, vt curationem quidem non admittant; ſed nihil aut parum detrahant vitæ: ſic enim artis famam, ſic ægrotantium animos aliquantulum ſuſtinebunt.

Vſus tralat. 2.

Non ſolum autem Senectuti, ſed omni temperamento frigido & præſertim Melancholico addictus eſt hic Aphoriſmus: Itavt verum ſit etiam Melancholicos quemadmodum & Senes morbis acutis minus tentari. Quod expreſſe docuit 6. Aphoriſm. vbi aſſerit eos qui acidum, eructant raro fieri pleuriticos: nimirum quia calor natiuus minor ſuccique frigidiores non ita facile flammam febrilem concipere poſſunt. Sed ob hanc etjam rationem, qui in eiuſmodi corporis habitum incidunt morbi fere tenaciores ſunt & curatu difficiliores.


APHO-



APHORISMVS XL.

Βρόγχοι καὶ κόρυζαι τοῖσι σφόδρα πρεσβύτῃσιν οὐ πεπαίνονται.

Raucedines & grauedines senio confectis non coquuntur.



CAVSA in promptu est Caloris imbecillitas. *Hi autem affectus creduntur allati in exemplum superioris sententiæ.* Verum verba ipsa & ingenium Hippocratis aliquid aliud prætendunt. Illic enim vtitur voce πρεσβύται, hic σφόδρα πρεσβύται: Itavt de diuersis senum generibus vtrobique loquatur. Sane si fides præcedentis Aphorismi quærenda fuisset in exemplis, hæc negligentiùs selecta viderentur, cum illustriora præsto essent quibus illud effatum efficaciùs probari poterat, qualia sunt Asthma, Nephritis, Arthritis, aliaque eiusmodi. Non ergo eos adduxit in nudum & inartificiosum exemplum; sed in argumentum quod vocant à minori ad maius, cum peculiari quadam obseruatione: Nam præcedenti Aphorismo de quibuscumque senibus loquutus est, hîc vero de ijs solis qui extremam senectutem attigerunt. Itavt ea sit mens Hippocratis. Si *Ordo Aph.* *Sensus Aph.*

Raucedines & Coryzæ qui leuiſſimi ſunt morbi & curationem facillime admittunt, inſanabiles euadunt in vltimo ſenio; certe alij grauiores & pertinaciores, cuiuſmodi ſunt quos ſupra adduximus, ſanari minime poterunt in ſenibus quibuſlibet, quamuis nec jam ætate confectis.

Vſus trallat. Porro transferri debet hæc obſeruatio hîc allata ad omnes omnino morbos qui pepaſmo ſolui debent; Si enim in ſenile admodum corpus inciderint, nullâ maturatione poſſunt mitificari: Maturatio enim à vegeto calore perficitur qui omnino deficit in illa decliui ætate.

2 Vnde præceptum practicum deducitur maximi momenti; Nimirum totam ſpem curationis morborum qui ſenes prouectos infeſtant, poſitam eſſe in artificioſa euacuatione cauſæ morbificæ. Cum enim decedant morbi ope caloris natiui, vel artis auxilio; nihil expectandum ab imbecillo & impotenti calore; ſed omnia induſtriæ committenda ſunt, & à ſola aliqua euacuatione ſiue occultâ, ſiue ſenſibili ex arte factâ, tota qualiſcumque ſit curatio ſperanda eſt.

Cautio. Non autem metienda eſt Senectus illa annorum numero, ſed virium ſtatu: Reperiuntur enim multi octuagenarij qui firmis ſunt adhuc viribus; multi vero qui 60. annum non attigere, quibus effœtæ omnino ſunt: In his ars ſola, in illis naturæ etiam vis morbos diſcutere poteſt.



APHORISMVS XLI.

Οἱ ἐκλυόμενοι πολλάκις καὶ ἰσχυρῶς ἄνευ φανερῆς προφάσιος ἐξαπίνης τελευτῶσι.

Qui frequenter & vehementer ſine cauſa manifeſta deficiunt, repente moriuntur.



SCRIBENTI *de morbis vltimi ſenij facillime ſubiit recordatio frequentis exolutionis quæ huic ætati familiaris eſt.* Sed cum in alias etiam ætates incidere poſſit, ideo vniuerſale propoſuit theorema quo docet: Eos omnes qui frequenter & vehementer deficiunt ſine cauſa manifeſta, mori derepente. Quia nimirum eiuſmodi horrendum ſymptoma indicat diſſipari ſpiritus & vires cordis à potentiſſima cauſa, quæ calorem natiuum aut extinguat, vt extremum ſenium, vulnus & phlegmone cordis; aut opprimat vt magna plethora; aut corrumpat, vt aura peſtifera & venenata.


Ordo Aph.

Ratio Aph.

His enim omnibus mors derepente ſuperuenit, ſublato omni reſpirationis vſu, ob ſpiritus vitalis diſſolutionem aut interceptionem.

Vſus proprius. In eiuſmodi periculo prudens Medicus perpenſis hiſce cauſis ſi ſpem aliquam valetudinis relinquant, auxiliares manus ſtatim admouebit; ſi nullam, prognoſtico facto ægrotantem committet fatis ſuis, nec infamabit remedia quæ multis profuere. Quid enim efficient vbi extrema ſenecta vires omnino exhauſerit; vbi eryſipelas, aut magnus ſimilis affectus cor labefactarit? nihil profecto quam nouum laborem addere malis ægrotantium & artis famam onerare crudeli & intempeſtiuo experimento.

Vſus trallat. Pertinet autem hic Aphoriſmus ad omnes morbos quibus eiuſmodi ſymptoma ſuperuenire ſolet, vt Cordis palpitationem idiopathicam, phlegmonem, aut vulnera partis illius principis; luem ab aura peſtifera aut ab aſſumptis venenis illatam. Itavt naſcentibus adhuc ijs affectibus poſſit prædici tandem affutura frequens & valida illa exolutio, cui periculum repentinæ mortis imminebit.





APHORISMVS XLII.

Λύειν ἀποπληξίην ἰσχυρὴν μὲν ἀδύνατον, ἀσθενέα δὲ οὐ ῥηΐδιον.

Apoplexiam fortem soluere impossibile est, debilem vero non facile.

A *Syncope descendit ad Apoplexiam consimilem affectum*; quam incurabilem docet si vehemens & fortis fuerit. Nimirum quia præceps & effera vis huius morbi celeritate præuertit remedia aut magnitudine eludit. Sed meritò quæri poteſt, quænam ſit illa Apoplexia fortis & vehemens quæ nullam admittit curationem? An quæ reſpirationem adimit vt paſſim creditur? Verum multi hoc ſydere afflati, eâ extinctâ ſeruati ſunt, multi etiam eâ incolumi periere. An fortis eſt quæ ſedem habet in meatibus illis qui à cerebro deriuantur neruis ſcilicet ventriculis, ſpinali medullâ: debilis vero in ijs qui ad cerebrum eunt, venis nimirum iugularibus, arterijs carotidibus, rete mirabili; hoc enim placuit Auicennæ? Verum cuicumque horum locorum infixa ſit, euelli poſſe ratio & experimenta comprobarunt: hunc ergo nodum ita ſoluendum exiſtimo.

Ordo Aph. *Ratio Aphor.* *Sensus Aphor.*

Apoplexia alia eſt à cerebro reſoluto, alia à meatibus obſtructis aut compreſſis: In hac ſpiritus non fluunt quia intercipiuntur; In illa, quia non generantur, emortuâ facultate animali ob amiſſum cerebri tonum. Quemadmodum enim in atonia hepatis deficit ſanguis ad nutritionem, ita in cerebri atonia deficit ſpiritus ad ſenſum & motum: hanc autem affert vel effætum ſenium, vel aura venenata, vel melancholia in ſedem animi prolapſa. Alius enim non eſt ſuccus, ita infenſus cerebro, neruiſque, vt pote qui aceto ſimilis eorum ſubſtantiam eliquat & diſſoluit, potentiamque omnem atterit & enecat: Itavt Hippocrates Apoplexiam & Paralyſim à ſolo eo humore naſci voluerit 7. Aphoriſm. 40. ſi ſubito lingua impotens fuerit, vel aliqua pars corporis ſtupeat μελαγχόλικον τὸ τοιοῦτον. & 6. Aphoriſmi 56. decubitus humoris melancholici apoplexiam ſpaſmum, maniam & cæcitatem afferunt, vt hiſce in locis fuſius declarabimus. Hæc ergo Apoplexia illa eſt quam Hippocrat. fortem & incurabilem vocat, quia nimirum facultas animalis deperdita proprij ſubiecti corruptione, reſtitui nullomodo poteſt.

At quæ ab obſtructione fit ſiue craſſus aliquis vapor aut humor meatus ſpirituum ſubierit, illa inquam debilis eſt apoplexia quæ curam admittit, ſed difficilem. Quia cum ſopitæ facultates medicamentorum vim ægre tunc ſentiant, & morbus lateat in penitioribus cerebri receſſibus, tota ſpes curationis poſita eſt in ijs remedijs quæ citò ferantur ad morbi ſedem, & cauſas illius diſſoluere & diſſipare poſſint. Talia vero ſunt vehe-

mentia & rapida quæ ſemper ingerunt multum laboris & periculi. Verum hæc dicta velim de apoplexia ſecundum ſe conſiderata; collata enim ad vires ægri aut remediorum, poteſt etiam debilis eſſe mortifera, ſi nimirum in corpus infirmum inciderit, aut leuibus tentata fuerit auxilijs.

Hîc vero dubitari poteſt, an in apoplexia illa forti nihil tentandum ſit, ſed prognoſtico facto omnia morbo permittenda ſint, cum in rebus deſperatis crudele ſit ægrum vexare vanis remediorum laboribus, nec ſint infamanda præſidia quæ multis auxilio fuere. Verum cum illa apoplexiæ ſpecies indubitatis non ſemper ſeſe prodat ſignis, dubioſque relinquat medicos an ex earum cenſu ſit quæ curari poſſunt, optimum ſemper erit fortunam periclitari & in extremo morbo vltima etiam experiri: Nam ſi res bene vertat ſolertiæ curantis dabitur felicitas euentus, ſi contrà, vis mali ſola aduerſi caſus inſimulabitur. In morbis enim deſperatis ſtat ſemper ſecura artis & remediorum fama, quamuis ſuo fine fruſtrentur; nec enim ab ijs plus expectatur quam poſſit Natura, qua deficiente omnia ſunt irrita. Durum quidem eſt vexare laborantem nouis cruciatibus, ſed crudelius eſt eum deſerere ſine auxilio, quandiù ſpes aliqua manet minimæ etiam leuationis. Illic lenitas crudelis eſt, hîc ſæuitia ſi quæ ſit, lenis eſt & officioſa. *Vſus occultus prius.*

Porro hæc prognoſis extendi poteſt ad omnes alias affectiones principum viſcerum quæ ſi fortes fuerint hoc eſt ſi quemadmodum apoplexia ab atonia partis cui inſident, oriantur, vt hydrops & ſyccope, inſanabiles omnino ſunt; ſi de- *Vſus tralat.*

biles, ſpem quidem afferunt curationis, ſed magna cum difficultate & periculo perficiendæ.



APHORISMVS XLIII.

Τῶν ἀπαγχομένων καὶ καταλυομένων, μηδέπω δὲ τεθνηκότων οὐκ ἀναφέρουσιν οἷσιν ἂν ἀφρὸς ᾖ περὶ τὸ στόμα.

Strangulati & reſoluti nondum tamen mortui ad ſe non redeunt quibus circa os ſpuma collecta apparuerit.

Ordo Aph.



RÆTER *apoplexiam quæ ab atonia cerebri naſcitur, alia ab obſtructis meatibus, alia à compreſſis*; de prima ſuperius, de ſecunda impræſentiarum agit, idque peculiari Aphoriſmo, quia diuerſum ab aliis fatum habet. Nam quæ ab atonia, inſanabilis prorſùs eſt; quæ ab obſtructione difficillime ſemper curatur: At quæ à compreſſione, modò inſanabilis, modò facilem, modò difficilem admittit curationem; prout ſcilicet vehemens aut leuis eſt compreſſio, prout cauſa comprimens faciliùs aut ægriùs amoueri poteſt. Comprimuntur autem meatus, vel laqueo, vel caluariæ depreſſione à caſu, aut ictu, vel denique ab illapſa,

lapſâ aut congeſtâ materiâ circa vias ſpiritus eas in anguſtum cogente & facultati tranſitum denegante.

Vt ergo doceat Hippocrates quænam illarum ſit incurabilis, & proinde cuinam remedia adhiberi poſſint, apponit ſignum certiſſimum ſpumam ſcilicet circa os collectam; quibus enim id accidit numquam ad ſe redeunt, quamuis cauſa ipſa morbi aufferri poſſet: Quia nimirum propria eſt pulmonis humiditas quam expreſſit vltimus naturæ conatus ob feruorem in partibus vitalibus conceptum & ſuffocationem caloris natiui ab intercepta fuliginum copiâ. *Senſus Aph.* *Ratio Aphor.*

In hoc ergo caſu vbi ſpes omnis extincta eſt, vbi natura nec morbo, nec remedijs amplius ſufficit, nullus datur Medicinæ locus & periclitatio quælibet pro deliramento haberetur: Itaque prognoſtico facto ſtatim relinquendus æger & vrgentibus fatis omnino permittendus. *Vſus prior.*

Transferri poteſt hæc prognoſis ad omnes alios fatiſcentis Naturæ extremos conatus: quamuis enim per hos reſtitui & reſurgere aliquando imperitis videatur, cadit tamen ſtatim effuſâ quæ reſtabat vi, & emiſſâ quaſi vltimâ flammâ ſubito extinguitur. Ita ſæpe in moribundis pulſus alacriùs micat, redit ſenſuum vſus, vox ablata recuperatur & ſalutaria alia ſigna ſeſe efferunt, quæ excitare in ſpem ſolent mulierculas & ignaros artis; ſed vanâ expectatione; cum enim ſeſe collegerint moriuntur, vt ait præceptor ἐπανενάγκαντες θνήσκουσι. *Vſus tralat.*



APHORISMVS XLIV.

Οἱ παχέες σφόδρα κατὰ φύσιν ταχυθάνατοι γίγνονται μᾶλλον τῶν ἰσχνῶν.

Qui natura valde sunt crassi celerius moriuntur quam graciles.

Ordo Aphor.



IX *fieri potest, vt habeatur sermo de Apoplexia quin statim occurrant animo illi qui naturà crassi sunt & obesi*; vtpote qui omnium maximè huic morbo obnoxij sint. Cum enim angusta sint illis vasa, densa cutis, & calor imbecillus, plethoricis causis facillime patent, à quibus inductâ venarum ἀπολήψει (*interceptione*) attoniti de repente fiunt. Eamobrem Hippocrates subiungens hunc Aphorismum superioribus tacitè innuere videtur eam corporis constitutionem pronam esse in eiusmodi affectum.

Ratio Aph.

Sensus Aph.

Verum prætereà addit in vniuersum esse breuioris æui quàm quæ tenuior & gracilior est; non solum quia modicus calor non potest deducere vitam per longa annorum spatia, sed etiam quia frequentia & magnitudo morborum in quos labitur, illam adhuc circuncidit. Modicus au-

tem eſt illi calor quia inopiâ ſanguinis laborat; Et frequentibus patet morbis, quia humores facillime putreſcunt à prohibita tranſpiratione ob cutis denſitatem & ab obſtructione ob anguſtiam venarum.

Non eſt tamen coercendus huius Aphoriſmi ſenſus ad ſolam hanc prognoſim: Cum enim toto in hoc opere agatur de morbis & ægrotantibus, nec ad hoc inſtitutum pertinere videatur obeſorum contemplatio qui cætera ſani ſunt & medicam non expoſcunt operam, proculdubio latet ſub hac obſeruatione alia mens Hippocratis, aliudque artis vtilius documentum. *Vſus occultus proprius.*

Videtur ergo admonere Medicos, vt cum lapſa viderint eiuſmodi corpora in morbos, non eâdem fiduciâ eorum curationem ſuſcipiant, quam fortaſſis haberent in alijs. Cum enim imbecilla eorum natura magnorum laborum ſit impatiens, & leues etiam morbos, magnaque remedia vix tolerare poſſit, multò cautiora conſilia adhibenda ſunt, tum in prognoſtico decernendo, tum in adminiſtrandis auxilijs, quàm ſi res ageretur in habitu tenuiori, vbi ſanguinis copia, meatuum libertas & corpus perſpirabile ſecuros fere ſemper reddunt medicos de naturæ viribus & remediorum opportunitate. In illis ergo ſpes ſalutis ſemper dubia ſit & anceps, nec vnquam valida medicamenta, aut tenuiſſimus victus, liberaliſque ſanguinis euacuatio inſtituantur: Caloris enim & ſpirituum qua premuntur inopiâ impar eſt hiſce remedijs, nec certam ſanitatis expectationem ſuſtinere poteſt.

Quamuis autem contrariâ methodo agendum

ſit cum Gracilibus ; Duo tamen eorum genera diſtinguenda ſunt, vnum ſcilicet eorum quibus ampla ſunr vaſa, ſanguis copioſus & calor abundans ; de ijſque intelligendus venit Aphoriſmus. Alterum eorum qui venas habent anguſtas & quibus proinde ſanguis paucus & calor natiuus imbecillis eſt, hi vero eâdem maiorique etiam cautione curandi ſunt quam obeſi.




APHORISMVS XLV.

Τῶν ἐπιληπτικῶν τοῖσι νέοισιν ἀπαλλαγὴν αἱ μεταβολαὶ μάλιστα τῆς ἡλικίης καὶ τῶν τόπων καὶ τῶν βίων ποιέουσι.

Finem Epilepſiæ iuuenibus affert præſertim ætatis, loci & victus mutatio.

Ordo Aph.



Adem *ratione quâ Craſſiorem habitum ſubiunxerat Apoplexiæ, impræſentiarum ſuperaddidit Epilepſiam quæ facillime in illam tranſit*: Multi enim epilepticorum ſuperueniente apoplexia è medio tolluntur. Verum præter tacitam illam obſeruationem nouæ alterius acceſſione Aphoriſmum adauxit. Docet enim mutatione ætatis, loci, & victus vt plurimum ſolui Epilepſiam. Quia ſcilicet humor qui copia

Senſus Aph.

Ratio Aphor.

& malignitate irritat cerebrum in pueris; adueniente iuuentute, mutatoque ſolo & victu diſſipatur: temperamentum enim calidius & ſiccius per has cauſas factum conſumit ſuperfluum illum humorem, robur cerebro & neruis afflat, atque calidi natiui ἔκλαμψιν & efficaciam promouet.

Vſus occultus prior.

Verum multa alia artis præcepta ſub his verbis recondita ſunt. Primo enim hac triplici mutatione, triplicem huius morbi cauſam deſignat Hippocrates, ætatem puerilem, diætæ vitium, regionem calidam & humidam (rarò enim in Septentrione naſcitur hic affectus) quarum vnaquæq; propriâ & analogâ eget Correctione: Itavt quæ ab ætate puerili ortum habet, per ſolam iuuentutem; quæ à diæta, per contrariam victus rationem; quæ à Regione humida, per aliam ſiccam emendari debeat. Nec enim eam quæ ab ætate nata eſt, ſola victus aut Regionis mutatio, quemadmodum nec illam quæ à diæta, aut à Regione pendet, vlla ætatis viciſſitudo ſuperare poteſt.

Secundo, ſi ſponte & ſine Medicinæ auxilijs ſolui debet hic morbus, in ſola iuuentute id expectandum eſt; nam vt notauit 5. Aphor. 7. qui poſt 25. annum oritur, vt plurimum ſolet commori.

Tertio, propoſito modo quo perſe ſoluitur, non ſolum ſpem facit Hippocrates per artem ſanari poſſe; verum etiam curationis rationem ſubindicat: Si enim ætas, aut victus, aut Regio ſiccior expugnare poſſunt hunc affectum, certe Medicamenta eâdem vi pollentia id quoque præſtare poterunt; non in iuuentute ſolum, ſed in quauis alia ætate. Nam quamuis curatu difficilis

sit post 25. annum, iustis tamen remedijs cessurum multa experimenta docuere. Hac ergo spe firmatus hisque adiutus præsidijs Medicus, nec expectare, nec vereri debet ætatis mutationem, sed pueris, sed viris, aut senibus etiam, auxiliares manus præbere potest: augebitque fidem quartana febris quæ viros, & senectus ipsa quæ picrocholους, ab epilepsia liberat.

Vsus trallat. Porro non de ea sola, sed de omnibus alijs morbis cognatis & *συντρόφοις* intelligendus est hic Aphorism. sunt enim multi alij affectus cuilibet ætati, Regioni & vitæ generi congeneres, qui per se abeunt, cum illa mutantur.



APHORISMVS XLVI.

Δύο πόνων ἅμα γινομένων μὴ κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον ὁ σφοδρότερος ἀμαυροῖ τὸν ἕτερον.

Ex duobus doloribus non eundem locum occupantibus, qui vehementior est alterius sensum obscurat.

Ordo Aph.

Ratio Aph.



Conuulsione quæ in motu cerebri deprauato consistit, facilis erat excursus ad sensus deprauationem, dolorem nimirum, quem ait obscurari à maiori; Non solùm quia euocantur spiritus ad partem grauius laborantem, vnde

alia minus percipit paſſionem ab obiecto factam; Verum etiam quia cum dolor ſit motus quidam appetitus, obliteratur minor à vehementiori, quemadmodum leuior aëris motio à validiori diſſipatur.

Hæc autem quamuis prima fronte pauci vſus eſſe, & ad nudam Phyſiologiam ſpectare videantur, ad Prognoſim tamen & ad curationem magnum habere momentum accuratior eorum inſpectio demonſtrabit.

Primo enim ſi aliquâ parte dolente nouus in alia dolor oboriatur, poteſt prænunciari primi doloris diſceſſus, perſpectâ naturâ partis cui ſecundus aduenit. Sic arthritide laboranti colica ſuperueniens aufferet prioris laboris ſenſum. Sic oculorum, ſic aurium phlegmone omnes alias partium dolores ſilere coget. *Vſus occultus prius.*

Vnde alia etiam prædictionis ratio colligitur nimirum, ſi viſceris alicuius dolor qui vt plurimum ſolet eſſe obtuſior, ab alio acutiori adueniente obſcuratur, denuncianda eſt huius alleuationis fallacia quæ magis ſenſum periculi amouet quàm ipſius affectûs. Nullum enim viſcus morbo tentari poteſt citra magnum aliquod diſcrimen & ſi dolorem illius indicem alia pars ſuppreſſerit, diſcrimen idem manet, eóque etiam maius quod nullam ſui notitiam amplius præbeat. Ita ſi leuis in pulmone dolor qui ſanguinem in os infuderit, alterius ſæuioris acceſſu euaneſcat, debet eſſe ſuſpectum eiuſmodi leuamen & metum incutere medico, ne lateat maior morbus vbi nullam mouet querelam, quàm vbi multam.

In eo itaque caſu diligentior cura habenda eſt

partis illius nobilioris quæ prius doluit, quam poſterius afflictæ quæ totam vim doloris in ſe collegerit. Illa enim maiori periculo tentata priùs & illico manum medicam expoſcit, hæc vero moras dare poteſt longiùs à diſcrimine remota. Cuiuſuis autem ſortis ſit pars illa quæ tunc minus dolet, ſine auxilijs neglecta minime relinquatur; habet enim adhuc in ſe latentem morbi cauſam quæ dolorem poſtea reuocare, maiuſque etiam vitium afferre poterit.

Vſus tralat. Fortè autem ſi nomine πόνων labores intelligi placeat, transferri poterit hæc ſententia ad euacuationes, quæ ſi per diuerſa loca fiant, validior minorem obſcurabit; purgatio enim ſudorem, alui fluxum vrina copioſa, anacatharſim quælibet alia euacuatio reprimit: EX duobus enim laboribus non in eodem loco, maior obſcurat minorem.

Verum neque his adhuc limitibus coerceri debet ſenſus huius Aphoriſmi: nulla enim eſt animæ functio ſiue in agendo ſiue in patiendo poſita; in qua huius effati veritas non comprobetur. Ita enim anguſta eſt animæ poteſtas, vt non poſſit ſimul duobus vacare operibus, aut duobus pathematis affici, quin in alterutro illius vis aut ſenſus minorſiat.

APHO-



APHORISMVS XLVII.

Περὶ τῆς γενέσιος τοῦ πύου οἱ πόνοι καὶ οἱ πυρετοὶ συμβαίνουσι μᾶλλον ἢ γινομένου.

Dum pus fit, dolores & febres incidunt magis quam jam confecto.

PERSEQVITVR *inceptum de dolore sermonem, nouâ adducta obseruatione symptomatum quæ puris generationem comitantur inter quæ primas tenent dolor & febris.* *Ordo Aph.*

Causam autem referunt Doloris quidem ad tumorem auctum ab accursu spirituum in partem affectam; Febris vero ad feruidum vaporem in cor transmissum ab humore suppurante. Probatur quidem mihi allata Doloris causa, cum certum sit eò spiritus accurrere, secumque aduehere sanguinem & calorem quibus tumor adaugetur & partes afflictæ extenduntur diuelluntur que: Sed alia mihi mens est de Febre, nec enim video quamobrem materia quæ concoquitur, quæque idcirco sub imperio & regimine naturæ manet, possit tam prauum eructare vaporem in cor sæpius longissi- *Ratio Aphor.*

me ab illa remotum, vt in eo febrem accendat; Nec quomodo pure jam confecto anathymiasis illa statim cesset, aut febrem vlterius non foueat. Præstat itaque Naturam ipsam agnoscere illorum symptomatum causam quàm vllius materiæ motum aut vitium: hæc enim per innatam sibi doctrinam habet, vt insurgat in morbos eorumque causas oppugnet, emittendo scilicet spiritus in subsidium partium læsarum, & si malum vrgeat, colligendo ingeminandoque calorem natiuum in corde, vt facta inde robustior hostem faciliùs & celeriùs conficiat: hæc autem caloris collectio & irritatio Febris est, morbus equidem si laborem quam infert corpori, spectes; Remedium, si naturæ motum & scopum intuearis. Quemadmodum ergo in ira calorem cordis anima accendit & irritat impetum in hostem factura, aut in criticis motibus natura febrim ingeminat, vel accersit de nouo; Ita vbi sanguis è venis illapsus insignem alicubi tumorem efficit, illa eodem æstu sese exagitat acuitque vires, quibus si foras propellere noxium illum humorem non possit, eum tamen mitificet & ad exitum disponat. Peracto vero opere tumultus omnis cessat & dolor minuitur, tepefacto nimirum calore & spiritibus retractis ad fontes suos.

Vsus occultus proprius 1. Hæc autem obseruatio Physiologica aperit nobis præcepta duo maximi in arte momenti, vnum Prognosticum, alterum Therapeuticum. Primum est, in internis inflammationibus ex febris & doloris leuatione coniecturam aut fidem non esse faciendam de morbi discessu, sed tantum de pure confecto; paulo post enim de repente in-

terdum abſceſſus rumpitur vnde empyema, maraſmus, aut mors ſubitaria.

Secundum eſt, eiuſmodi ſymptomata nunquam magnis eſſe tentanda remedijs, niſi ita vehementia ſint vt metum incutiant grauioris mali. Nam cum oriantur à motu naturæ inſurgentis in morbum, non poſſunt aufferri quin illa ſimul ab opere auocetur, ſicque dilatâ concoctione longior, peiorque euadat affectus. Verum etiam cum euanuerint ſine puris euacuatione non opportuniorem dant medendi occaſionem, nullum enim validum præſidium tunc adhiberi poteſt ſiue pharmacum, balneum, aut exercitium, quò latens apoſtema rumpi non poſſit, vnde mala ſupradicta inexpectatò contingent. 2.

Porro non tantum in puris generatione motus naturæ ciet dolorem & febrim, ſed in quolibet alio eius conatu in morbum facto. Teſtis eſt exacerbatio illa frequens in acutis, teſtis eſt magna illa perturbatio quæ criſim antecedit & comitatur. In his enim quemadmodum in pure coquendo NATURA collectis viribus cauſas morbificas aggreditur, & poſt varios inſultus eas tandem fugat & extra corpus propellit; ſed dum hæc geruntur, calor laborq; creſcunt & vi victoria comparatur: Nam ex Aphoriſmo, in puris generatione, id eſt in omni naturæ motu, labores & febres fiunt. Sane πόνος hîc non tantum dolorem, ſed & laborem ſignificare debet, nam cum pus fit in pulmone, hepate, aut alia parte inſenſibili, nullus percipitur dolor, ſed anxietas, iactatio, grauitas, cæteraque accidentia quæ ſub nomine laboris comprehenduntur. *Vſus trallat.*



APHORISMVS XLVIII.

Ἐν πάσῃ κινήσει τοῦ σώματος ὁκόταν ἄρχηται πονέειν, τὸ διαναπαύειν εὐθὺς ἄκοπον.

In omni corporis motu cum fatigari cœperit, quies ſtatim laßitudinem ſoluit.

Ordo Aph.



A *Dolore ad laſſitudinem tranſit quæ ſpecies eſt quædam doloris.* Laſſitudo autem quæ motum corporis conſequitur, duplex eſt, vna cum facultas motrix infirma fit ab exhauſtis ſpiritibus; Altera cum motu eliquati humores in muſculos diffluunt. Priori remedio eſt quies in qua reparantur ſpiritus, poſteriori laſſitudo ipſa; laſſitudo enim laſſitudinem ſoluit, ex Hippocrate; quia nouo illo corporis motu humores in muſculos delapſi diſſoluuntur & abeunt in auras (quod præſtat etiam balneum, frictio & alia eiuſmodi) ſicque causâ ablatâ ceſſat dolor & laſſitudo illius effectus.

Ratio Aph.

Quamuis autem hæc vera ſint, non apparet tamen ſcopus in quem Hippocrates hæc verba direxit: Rei enim omnium manifeſtiſſimæ & bru-

tis animantibus etiam notæ non debebatur locus in ordine Aphorismorum, hoc est selectarum sententiarum, nisi aliquid aliud magis reconditum sub ea lateret.

Vsus tral-lat. An ergo Modum præfinire voluit in exercitijs quæ ad lassitudinem vsque produci non debent, quæque vbi fatigare cœperint, statim intermittenda sunt? Sic erit præceptum prophylacticum, quod transferri poterit ad animi etiam exercitationes, cuiusmodi sunt studia litterarum, quæ nunquam sunt trahenda vsque ad tædium aut virium languorem, sed quiete & otio sæpius varianda.

An Curationem morborum per contraria perficiendam insinuat exemplo lassitudinis à motu corporis contractæ quam quies ei contraria subleuat? An per causæ ablationem id tentandum, quemadmodum lassitudo soluitur cohibendo motum illius causam?

Vsus proprius. & sensus Aph. Fortassis ad hæc omnia collineauit Hippocrates, sed meo iudicio primum illius consilium fuit innuere modum quo febris & dolor quæ puris generationem comitantur decedere soleant. Cum enim fiant à motu naturæ sese agitantis, solui non possunt nisi illâ quiescente, eadem omnino ratione qua lassitudo quæ à motu corporis nascitur solâ illius quiete cessat. Vnde confirmari voluit præceptum practicum quod superiori Aphoris. insinuauerat, nimirum ea symptomata quæ impetum naturæ sequuntur, nullis esse oppugnanda remedijs, sed ei soli committenda; vbi enim illa substiterit, statim euanescent.



APHORISMVS XLIX.

Οἱ εἰθισμένοι τοὺς συνήθεας πόνους φέρειν, κἂν ὦσιν ἀσθενέες ἢ γέροντες, τῶν ἀσυνηθέων ἰσχυρῶν τε καὶ νέων ῥᾷον φέρουσι.

Assueti solitos labores ferre, etsi sint debiles aut senes, facilius ferunt quam robusti & iuuenes.

Ordo Aph.



ERSEQVITVR *inceptum de laboribus sermonem, docetque* illis assuetos quamuis debiles, aut senes alacrius eos ferre minúsque ab ijs affici quam iuuenes & robustos. Cuius rei causa

Ratio Apho.

vna quidem est NATURA quæ assuescit certæ fibrarum tensioni & figuræ quam musculi in quolibet motu suscipiunt; hinc enim fit vt cui vnum exercitationis genus familiare est & vsitatum, aliud quamuis minus laboriosum non ita facile ferat, quia scilicet aliam facit membrorum positúram quæ insolens est & proinde molesta. Altera est vis & efficacia MOTUS qui artus calefacit & siccat, superfluos absumit humores, fouetque spirituum naturam quietis & otij impatientem,

vnde firmitas & alacritas in laboribus tolerandis. His autem commodis priuantur Robusti & Iuuenes inexercitati: nam propter insolitam membrorum tensionem quam patiuntur, cum primùm se credunt laboribus, humores quibus circunfluunt per motum fusi & in articulos musculosque delapsi lassitudinem generant, & ob insolentiam acriùs ob copiam diutiùs affligunt.

Quamuis autem de artuum exercitio Aphorismus intelligi debeat, pertinet tamen ad alias etiam partium exercitationes siue à natura, siue ab arte factas. Quod enim est labor & exercitatio artubus & carnibus, id cibus & potus est visceribus ex Hippocrate in epid. Itayt qui ter aut quater in die cibum capere soliti sint quamuis infirmi, hanc victus rationem facilius ferant, quam robustiores quibus est insolita. Idem sentiendum de purgationibus, quæ in censu exercitationum positæ sunt ab antiquis, vt patet ex Plat. in Timæo: vbi tria facit exercitiorum genera; vnum optimum motioni vniuersi congruens ἐν αὐτῷ ὑφ᾽ ἑαυτοῦ, quo sese corpus mouet, vt deambulatio & omnis alia gymnastica exercitatio. Alterum minus bonum in quo mouetur ab alio, vt vectio facilis in naui aut alio vehiculo. Tertium prauum in quo corpore quiescente internæ illius partes vi agitantur, qualis est purgatio. Quæ quidem vtilis est, vt ait ille, cum cogit necessitas, aliàs οὐδαμῶς τὸν νοῦν ἔχοντι προσδεκτέον, τά τε γὰρ νοσήματα ὅσα μὴ μεγάλους ἔχει κινδύνους οὐκ ἐρεθιστέον ταῖς φαρμακείαις.

Vsus tralat.

Traduci etiam potest ad omnes alias res non naturales, vt aërem, vigiliâm, excreta, pa-

themata, quæ facilius tolerantur ab ijs quibus ſunt familiares & aſſuetæ.

Vſus proprius. Præceptum autem hic proponirur aſciſcendæ & conſeruandæ Conſuetudinis exemplo Debilium &
1. Senum: ſi enim cum tanto virium & ætatis detrimento labores ſolitos facilius ferunt quam Robuſti & Iuuenes inexercitati; magnum vtriſque hoc documentum & incitamentum eſt, illis quidem ad retinendam eam conſuetudinem qua præſtant validioribus ſe; his ad eandem inducendam, ne cedant infirmioribus.

2. Atque hinc deducitur Cautio magni vſus in Prophylaxi & Therapeia. Monet enim primò Iuuenes & Robuſtos qui ſuæ ſpontis ſunt, vt aſſueſcant non ſolum exercitijs, ſed omnibus alijs rebus quæ in communem hominum diætam incurrere poſſunt, vt variæ aëris & cæli tempeſtati, cibis omnigenis alijſque eiuſmodi: Quibus modò plus iuſto, modò minus, modò opportune, intempeſtiuè etiam aliquando illis vtendum erit; ne ſcilicet cum neceſſitas illorum periculum faciendum iuſſerit, inſueta difficiliùs ferantur & morborum cauſæ fiant. Debiles vero & ſenes quamuis tam varium vitæ genus tentare non debeant, cautiorique diætâ coercendi ſint, plurimarum tamen rerum liberum vſum habent, quibus pro modo virium & ætatis aſſueſcere poſſunt: memores ſemper ignauiâ corpus & animam hebetari, maturamque ſenectutem reddi.

3. Secundo, tacite docet in ſanis multa eſſe condonanda conſuetudini, tam in ciborum quam exercitiorum aliarumque rerum ad diætam pertinentium delectu, nec temere mutanda quæ longo

longo vſu congrua & amica naturæ facta ſunt; Imo ſi propter domeſticas, ciuiles, aut alias neceſſitates intermiſſa fuerint, ea ſtatim repetenda.

In morbis etiam quamuis alia victus ratio deſideretur, non tamen ita vertenda eſt, vt conſuetudini penitus oppoſita ſit & contraria, ſed quantum præſens corporis ſtatus id permiſerit, ad eam flectenda. Sic paucis in valetudine contentus cibis, dum in febrem inciderit, rarâ paruâque ſorbitione ſuſtinendus eſt: Contra qui eſcarum copioſiore ſaburrâ onerare ſe conſueuerat in morbum lapſus pleniori & frequentiori cibo foueri debet. 4.

In Conualeſcentibus etiam relicta ſuſpenſave ob morbum prægreſſum conſuetudo, paulatim reuocanda eſt, modo ſit earum rerum quæ ſunt ſecundum naturam, de quibus hoc Aphoriſmo agitur; aliàs enim ad inſolita tranſeundum, vt docet ſequens apoteleſma. 5.




APHORISMVS L.

Τὰ ἐκ πολλοῦ χρόνου συνήθεα, κᾂν ᾖ χείρω τῶν ἀσυνήθων ἧσσον ἐνοχλεῖν εἴωθε. Δεῖ οὖν ἐς τὰ ἀσυνήθεα μεταβάλλειν.

Quæ longo tempore aſſueta ſunt etiam-

si deteriora sint minus ijs quæ insueta sunt molestare consueuerunt: Quare ad insueta facienda est mutatio.

Ratio Aph.


AVSA duplex est, vna in corpore, similitudo nimirum quam partes contraxere cum rebus à quibus continuo patiuntur; agens enim omne assimilat sibi passum, quæ autem similia minus alterant, minusque proinde molesta sunt. Altera est in anima, phantasia scilicet quæ factâ cum rebus assuetis societate earum occursu minus mouetur & turbatur; tantam enim vim habet hæc facultas in membra sensu donata, vt quæ illis amica sunt, molesta reddat, quæ vero molesta, leniat grataque efficiat.

Ordo Aphor.

Porro quotquot interpretum videre licuit, censent omnes hunc Aphorismum esse auctarium quoddam & quasi complementum superioris, in quo vniuersali theoremate quod in vna specie indicauerat, demonstratur. Cum enim Hippocrates illic asseruisset assueta exercitia facilius tolerari, hîc eandem sententiam amplificans docet in cæteris rebus non-naturalibus, vt aere, cibo, potu, &c. non modo verum illud esse, sed & illa ipsa licet deteriora minus esse molesta melioribus insuetis.

Attamen nisi mea memet opinio fallat, falluntur illi ipsi. Nam præterquam quod sub nomine laborum & exercitiorum magna pars rerum non-naturalium comprehendatur, vt notauimus, sitque alienum à methodo aphoristicâ semel animaduersa iterum perscrutari, & insolens Hippo-

erati breuitatis ſtudioſo in plures ſententias diſtrahere quæ vnicâ comprehendi poſſunt: Concluſio præſentis Aphoriſmi diuerſa omnino ab ea quæ ex ſuperiori elici debet, arguit de diuerſis aſſuetorum generibus loquutum. Hæc enim mutanda iubet, δεῖ οὖν ἐς τὰ ἀσυνήθεα μεταβάλλειν: At vero certum eſt aliorum conſuetudinem ſeruandam eſſe. Quis enim ſuadere vellet senibus aut imbecillis deſerendos labores ſolitos quibus conſtantem ſeruarunt valetudinem, quibuſq; præſtant robuſtis & iuuenibus inexercitatis? Cumque tam frequenter præceptor moneat conſuetudinis ſeruadam eſſe rationem; quibus in rebus quove in caſu, tam prudens conſilium in vſum vocandum eſſet, ſi cunctis in rebus non-naturalibus mutandam eam eſſe hic docuerit? Neque dicas legendum eſſe ἐς τὰ συνήθεα μεταβάλλειν, vt quibuſdam viſum eſt: Nam ſi hæc lectio probaretur, deteriora omnia in conſuetudinem eſſent adducenda, eamque intermiſſam omni ſtudio fore reuocandam; quo nihil abſurdius & vitæ humanæ infenſius excogitari poteſt.

Senſus Aph.

Exiſtimo itaque ambos Aphoriſmos de diuerſis Aſſuetorum generibus intelligendos eſſe: Superiorem quidem de ijs quæ ſunt ſecundum naturam, hunc vero de ijs quæ contra naturam ſunt. Itavt hic ipſe ſit correctio prioris, quaſi velit Hippocrates; Certum quidem eſſe Conſuetudinem rerum aſſuetarum eſſe ſeruandam, ſi nimirum ſint ſecundum naturam qualia ſunt exercitia, alimenta, aliaque id genus laudabilia. Nam ſi ſint contra naturam, tantum abeſt vt earum conſuetudo retinenda ſit, quin potius omnino

mutanda veniat. Licet enim eas mitiores reddat & minus noxias, non tamen efficit salutares, minuitque potius sensum damni quod inferunt quam periculum quod secum trahunt. Atque ob hanc causam prudenter consulit non illis fidendum esse, sed ad alia mutationem faciendam.

Vsus occultus. Quam late autem extendatur vsus huius Aphorismi, nemini obscurum esse potest obseruanti tot prauas consuetudines quas aut intemperantia, aut falsa opinio, aut necessitas in hominum mores inducere solet. Errant si quidem qui paucas eas esse volunt, eo quod prauis non libenter assuescant homines; Si enim singulorum vitæ ratio accuratè perpendatur, nullus erit fortassis qui prauum aliquem habitum contraxisse non videatur.

Verum vt veritas hæc luculentius pateat, Obseruandum Assueta quæ sunt contra naturam esse in multiplici differentia. Alia enim sunt praua ex se & suâ naturâ, vt cibi corrupti & vitiosi, aër grauis & pestilens, &c. Alia in quantitate, tempore & modo exhibendi; nam optima quæque si maiori aut minori copiâ, si intempestiue, nisi rite præparata, nisi rite præparato exhibeantur, noxia & infesta redduntur: Alia sunt etiam praua respectu hominis temperati, quæcumque enim in vniuersum Medicina damnat, aut probat, eâ mensurâ definiri solent: Alia vero ad propriam cuiusque naturam comparata, sic Bilioso, sic Melancholico, sic ad tabem aut alium morbum propenso quædam aduersa sunt & inimica, quæ alijs essent innoxia: Alia quoque parum; alia

mediocriter, alia multum in prauitate peccant. Earum autem rerum consuetudo, aut in pueris spectatur, aut in iuuenibus, aut in viris, aut in senibus.

His ita constitutis, Certum est vanum fore consilium mutandæ consuetudinis prauæ quam necessitas inuexit & sustinet: Nam qui in aëre cœnoso & turbido, qui in regione perpetuo æstu feruida, aut continuis frigoribus rigente degit, nec alio commigrandi facultas datur, inutile haberet ad sanitatem præceptum vertendi soli; sicut abs re foret alimentorum delectum instituere ei qui per inopiam, aut per vim aliam præscripta sibi comparare non posset. *Vsus prior.*


Præter hunc casum, in pueris omnis praua consuetudo mutanda est, in senibus prouectis, nulla nequidem pessima: In illis quidem, quia nisi mature resecetur, adolescet cum annis & reliquam ætatem damnis suis afficere poterit: In his vero quia nec robur, nec tempus superest ad mutationem. In cæteris parum aut mediocriter praua retineri potest, præsertim si tantum circa quantitatem, tempus & modum peccet: Nam quæ totâ suâ substantiâ mala sunt & propriæ cuiusque naturæ infensa, impune non possunt diu in vsum trahi, & quamuis corpus ad hæc obduruisse videatur, cedit tandem & aditum præbet ijs quos apta nata sunt inducere, morbis. At vero eam consuetudinem quam continua virium infirmitas aut multiplex morborum prouentus perpetuo comitatur, quouis modo, quauis mensurâ deficiat, nullus nisi in vltimo senio obseruare debet, sed eam soluere, atque in aliam transferre.

Cum autem prauæ Consuetudines animo inhæreant & rationis vitio, vt plurimum suam debeant originem, cuiusmodi sunt quas intemperantia aut falsa opinio induxit; In his coercendis non debet Medicus vti imperante illa agendi normâ quam in alijs morbis adhibere solet; sed in aures & animum audientis leniter influere, dato consilio subijcere rationes & argumenta quæ aut intemperantiæ fœditatem, aut conceptæ opinionis errorem, indicent; exempla etiam adducere quæ funestum alijs fuisse hunc morem, & idem illi ipsi periculum instare testentur.

Vsus trallat. Quamuis autem eiusmodi sit primus & præcipuus Hippocratis sensus in hoc Aphorismo; potuit tamen alios non inferioris notæ, nec minoris vtilitatis sub iisdem verbis recondere. Sane cum res Assuetæ etiam deteriores minus molestæ sint, docere videtur inassuetas etiam optimas posse esse ingratas, & turbare naturam, si casu aliquo in vsum veniant. Ne ergo insolens earum occursus corporis statum peruertat fiatque morborum causa, iubet ad eas mutationem esse faciendam: Non ita tamen vt quisque laudabilis consuetudinis desertor fiat, sed quasi explorator interdum transeat ad alia quæ corporis aut temporis ratio necessaria efficere potest. Sic otiosæ vitæ astrictus ad labores aliquando se conferat; sic vni viuendi normæ, certisque cibis assuetus, aliorum faciat periculum; ne scilicet cum eorum necessitas inciderit, ægriùs tolerentur. Sed pręsertim ea quorum vsus in morbis necessarius est familiaria reddi conuenit vt oua, iuscula, aliaque eiusmodi; quæ si quis sanus auersetur, mirum est quantum laboris & ne-

gotij facescent in morbum lapso, quo tempore illis necessariò vtendum erit. Certe vt in tranquillitate aduersus tempestatem auxilia, ita & in secunda valetudine, aduersæ præsidia comparanda sunt.

Vult præterea Hippoc. Medicamina quæ longo vsu minus molesta facta sunt, id est, quæ illam quam habent vim alterandi & commouendi corpus initâ cum natura familiaritate deposuerunt, mutanda esse. Nec obstat quod manente eo quod à principio visum est ad alia transire non liceat: Hîc enim Remedij substantia non virtus mutanda proponitur, & vt aiunt, Medicamentum non Medicatio variari oportet.



APHORISMVS LI.

Τὸ κατὰ πολὺ καὶ ἐξαπίνης κενοῦν ἢ πληροῦν, ἢ θερμαίνειν, ἢ ψύχειν, ἢ ἄλλως ὁπωσοῦν τὸ σῶμα κινεῖν σφαλερόν. (καὶ γὰρ πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον· τὸ δὲ κατ' ὀλίγον ἀσφαλές.) καὶ ἄλλως ἢν τις ἐξ ἑτέρου ἐφ' ἕτερον μεταβαίνῃ.

Plurimum & repente vacuare aut replere, aut calefacere, aut refrigerare,

aut alio quouis modo corpus mouere periculosum (omne siquidem nimium naturæ inimicum est, quod vero paulatim fit, tutum.) præsertim vbi quis ex altero in alterum progreditur.

Ordo Aph.



ROPOSITO *antea Consuetudinis asciscendæ, aut immutandæ præcepto, impræsentiarum ostendit modum quo vtrumque fieri debeat, tam in substantiæ quam in qualitatum adiectione aut substractione.*

Sensus Aph.

Docet ergo nec affatim, nec repente vacuandum, aut replendum, aut alterandum, aliove modo commouendum corpus, sed moderate & paulatim; Πᾶν γὰρ τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον, τὸ δὲ κατ᾽ ὀλίγον ἀσφαλές. quæ verba parenthesi includenda sunt, sequentia enim καὶ ἄλλως ἢν τῆς ἐξ ἑτέρου εἰς ἕτερον μεταβαίνει, superioribus annecti debent. Si enim dicatur tutum illud esse quod paulatim fit, præsertim vbi quis ex altero in alterum progreditur, nulla est, aut vana illarum propositionum connexio: Nam quamuis non fieret transitus ex altero in alterum, nihilominus sensim facta illa mutatio esset tuta.

Vult itaque plurimum & repente vacuare aut replere, aut calefacere, aut refrigerare periculosum esse, præsertim, vbi quis ex altero in alterum progreditur, id est, vbi quis transit à consuetis ad insueta, aut contrà: De ijs enim solis loquutus est in præcedentibus Aphorismis. Sanè non leuis est coniectura eam hîc fuisse mentem Hippo-

Hippocratis, quòd multis in casibus hanc agendi normam neglexerit; Et venæ sectionem ad animi vsque deliquium, mochlica medicamenta eodem ipso die, ferrum, ignem denique, extrema omnia remedia præscripserit; quæ longe absunt à lenta illa & moderatâ medendi ratione quam nunc proponit. Quia nimirum de Consuetudinis inducendæ aut permutandæ modo hîc agitur; illic de extemporaneis remediis quæ nihil attinent ad Consuetudinem.

Verum quamuis hic fuerit primus Hippocratis sensus, quo præsentem Aphorismum cum superioribus colligari voluit; verisimile est ad alia etiam in quibus illius veritas elucet eum direxisse; Et vt vno verbo dicam, vnicâ sententiâ omnem totius artis industriam complecti voluisse: Nam à vacuatione, repletione, alteratione & aliâ qualibet corporis motione, nihil reliqui est quod Medicina exequi possit; omniaque eius munera, his si recte fiant continentur. Rectè autem fient si non confertim & subito, sed κατ' ὀλίγον, id est modice & paulatim: omne enim nimium naturæ inimicum, quod vero paulatim & modice fit, tutum est. Illud autem Nimium idem est quod supra 4. Aphorismo dixerat, ὅτι μᾶλλον τῆς φύσιος, quod supra naturam est; Natura enim naturâ, simile simili, ἴσον ἴσῳ seruatur. Sed vt notauimus antea, tota difficultas est in illa æqualitate metienda, quod enim est alteri nimium & subitum, potest esse alteri moderatum & tempestiuum; vni copia ciborum innocua est quæ alium oppimeret; Et catharsis valida hunc cito exolueret quæ alteri commoda & salutaris erit: habenda ergo ratio naturæ *Vsus occultus.*

cuiusque propriæ quæ temperamento, consuetudine, tempore, aliisque circumstantiis definitur; si enim ei æqualia adhibeantur, tuta omnia erunt. Nec te moueant suprema illa remedia quæ necessitas in extremis morbis imperat; illa enim æqualia censenda sunt quæ vtilia & necessaria; nec celeritate aut copia peccare quæ iuste & opportune admouentur, quæque vana forent, nisi magna & subita vi agerent. Quanquam & hæc cum Hippocrate forsan dixeris esse periculosa quæ plerumque nonnisi rebus ægrorum in ancipiti positis, nec sine magna medentium præmeditatione tentanda sunt? nempe periculosum esse potest quod vtile & necessarium; sicut tutum quod inutile futurum est: nam si vacuandum sit replendum aut alterandum, & debilius quam par sit medicamen adhibeatur; tutum quidem illud, sed vanum & irritum erit. De his tamen reuera non est intelligendus præceptor, nec enim probat ea quæ vana sunt, nec damnat quæ necessaria. Sed hæc ita distinguenda veniunt. Nimium aliud consultò, aliud temere instituitur: Modicum etiam aliud efficaciam habet aliquam sed moderatam, aliud nullam prorsus. Damnat ergo nimium temerarium & modicum impotens; probat nimium necessarium & modicum efficax.

Quicquid sit, amplissimus hîc aperitur campus ad praxim, si, vt notatum est, ad omnes artis operas extendatur hic Aphorismus: non solum enim viam patefacit ad prognosim instituendam, indicando ea omnia quæ valetudinem turbare possunt; nihil enim hanc vim habet nisi quod nimium, idest quod supra naturam est & illi aduer-

ſum ; verum etiam conſeruatrici & curatoriæ Medicinæ partibus totam agendi materiam ſubminiſtrat, proponendo ea quæ ſunt naturæ æqualia & analoga , quibus ſolis conſeruari aut reſtitui valetudo poteſt.

Ad cunctas ergo res non naturales (quæ & morborum cauſæ & ſanitatis præſidia fiunt) pertinet hæc ſententia : Si enim magna fiat ſubitaque ab vna in aliam mutatio, vix fieri poteſt quin corpus aliquem inde concipiat morbum. Hinc ſolemnia illa artis decreta : pro Aëre quidem ; mutationes temporum potiſſimum pariunt morbos : Nec ex ſalubri loco in grauem, nec ex graui in ſalubrem tranſitus tutus eſt. Pro cibis ; ex multa fame nimia ſatietas, nec ex nimia ſatietate fames idonea. Pro motu ; ex nimio labore ſubitum otium ; neque ex nimio otio ſubitus labor ſine noxa eſt. Pro ſomno ; ſomnus & vigilia vtraque ſi modum exceſſerint malum. Pro excretis & retentis ; extremæ vacuationes & repletiones periculoſæ. Denique pro animi pathematis ; experimenta quotidiana docent quanto in diſcrimine verſentur qui ex graui mœrore in effuſum gaudium de repente feruntur ; aut qui ex mera ſpe in certam deſperationem ſtatim incidunt.

Senſim ergo & modice omnes has mutationes fieri optandum aut procurandum eſt ; Et præſertim in remediis exhibendis leniora primum locum occupare debent à quibus ad validiora paulatim tranſitus fiet. Nam præterquam quod tuta & ſecura eſt illa medendi norma ; ſi in principiis morbi illius idea non omnino pateat, per haſce inno-

xias moras tandem elucescet & quod opus est facto citra hæsitationem indicabit. Sane in medicina quemadmodum in omni alia agendi ratione certissimum est, non properanti omnia clara & aperta fieri, festinationem rem esse improuidam & cæcam.

Vsus tral-lat. Verum in morbis ipsis animi, quorum cura ad corporis valetudinem magnum habere momentum neminem latet, idem consilium tenendum est. Frustra enim quis tentaret iræ, doloris, aut cupiditatis effrænes impetus vi & imperio protinus cohibere aut frangere: Indulgendum est illis primò, tum sensim ad molliores alios affectus conuertendi sunt, vt tandem cum languere incepe- rint, apertis aduersisque rationibus comprimi possint. Sed præsertim cum magna quædam perturbatio impendet ægrotanti ex nuncio aut occursu alicuius rei quâ vehementer commotum iri verisimile est; ita cum illo agendum erit vt ex alio in aliud sermonem trahendo sensim ad id de quo metus est, deueniatur; eóque extenuato si acerbum futurum est, illi contingere posse, postmodum instare etiam, tandem adesse denuncietur. hac enim aut simili arte retusa vis occursantis mali molliùs animam feriet & minus turbarum in illa mouebit.



APHORISMVS LII.

Πάντα κατὰ λόγον ποιεοῦντι καὶ μὴ γινομένων τῶν κατὰ λόγον, μὴ μεταβαίνειν ἐφ' ἕτερον, μένοντος τοῦ δόξαντος ἐξ ἀρχῆς.

Omnia ſecundum rationem facienti ſi non ſuccedat ſecundum rationem, non eſt tranſeundum ad aliud, manente eo quod à principio viſum eſt.

MVTATIONEM *faciendam antea docuerat, præſcripſeratque modum quo illa fieri debet*: Vnicâ iam exceptione coërcet vniuerſale illud præceptum, monetque non eſſe immutanda remedia rite & conuenienter inſtituta, quamuis non ſtatim votis reſpondeant. Sæpe enim humorum contumacia, morborum feritas, aëris vitium, aliaque id genus vim præſidiorum primo eludunt, quæ poſtmodum ab iiſdem domantur. Mutationem vero non tantum eam intelligit quæ fit ab vna facultate in aliam, ſed omnem aliam quæ circa quantitatem, tempus, modum & locum verſatur: Manente enim eo quod

Ord. Aph.

Vſus apertus

Senſus Aph.

à principio visum est, nec qualitas aut quantitas præsidiorum, nec tempus aut modus exhibendi, nec locus cui admoueri debent, vllo modo varianda sunt.

Non tamen in hoc censu reponuntur ea quæ aut arcano quodam naturæ dissensu nonnullis infesta sunt, aut longo vsu & quasi nimia familiaritate vim suam deposuere; hæc enim immutari oportet, & alia similis quidem potestatis, sed diuersæ substantiæ sunt substituenda. Sane Hippoc. vim auxiliorum spectat non materiam & quod alias dictum est, liberam permittit medicamentorum non medicationis mutationem. Immò neque existimandum est eum velle vt vno tenore per omnia morbi tempora eadem curatio procedat; notum est enim in vnoquoque eorum illam esse variandam in qualitate, copia, & modo. Verum hæc intellexit collata ad singula morbi tempora, itavt ea præsidia quæ vnumquodque eorum expostulat, non sint in eo mutanda. Cum enim moneat prudentem Medicum & omnia secundum rationem facientem, certissimum est eum cuncta ex ordine & opportune agentem introduxisse.

Præter hunc autem apertum Aphorismi sensum alia multa latent sub eo artis documenta.

Vsus occultus. Primò enim tacite innuit, Medico totam ingenij vim, totamque industriam adhibendam pro dignoscenda morbi idea quæ omnium agendorum vnica est norma; quâque ignotâ nihil firmum & stabile institui potest, sed cuncta fortunæ committenda sunt.

Secundò, nulla alia re magis illius ignorationem coargui quam remediorum frequenti permu-

tatione. Itaque nisi Medicus incompertum adhuc morbum hac via tentare velit, non debet de fama & fide sollicitus indulgere impatientiæ ægrotantum, qui quod non profuit, aut quod parum iuuat damnantes ad alia transiri volunt; sed ipse in proposito consilio permanens hanc animi intemperiem lenire molli aliqua admonitione, tum argumentis ex natura morbi & remediorum petitis, spe etiam profectus qui iusto tempore explebitur. Potest tamen saluâ hac lege illi aliquando morem gerere, si ad diuersa transeat iisdem tamen viribus donata, sic enim medicamentum non medendi ratio immutabitur.


Tertiò, omnia secundum rationem facienda esse, hoc est prudenter administranda remedia morbo & naturæ cuique propriæ congruentia, eaque iusta quantitate, tempore opportuno, modo conuenienti, & loco debito admouenda; si enim in aliquo eorum peccetur, tota curatio vacillat & vnico errore in discrimen vertitur fama medentis & salus ægrotantis.

Quartò, cum ex ipsa Hippocratis confessione non semper optatus euentus excipiat ea quæ secundum rationem instituta sunt; hinc admonentur Medici & præsertim tyrones in arte, ne turbentur animisque concidant cum irrita obseruauerint præsidia in quibus magnam curationis spem collocauerant. Videant solum an primo consilio fortasse lapsi sint; ideoque reputent secum omnia signa quibus de morbo & rebus agendis coniecturam fecere, eaque conferentes inter se & cum iis quæ de nouo contigerunt, diligenter animaduer-

tant num eadem quæ prius iterum occurrant animo, constetque illud idem quod à principio visum est. Ita enim se habente re perseuerandum in propositis, nec mutanda auxilia licet in cassum adhibita, imò licet nocuisse videantur. Quod si hac facta disquisitione in errorem lapsos se perceperint, statim aliam agendi rationem tentare debent & contraria admouendo paululum interquiescere, vt ait præceptor 6. epid. vt scilicet hoc interposito tempore quænam sit remediorum efficacia, quænam sit affectus species & natura conijciendo assequantur.

Vsus tralat. Denique ex hac regula quæ remedia licet vana aut noxia videantur, mutari prohibet, si ex arte instituta sint, nobis relinquit Hippocrates colligendum, multa etiam iucunda & commoda primo videri quæ immutari oportet, siue quia vt vana vtilium locum & tempus occupent, siue quia noxia tandem futura sint: prætermisit autem hanc obseruationem vt notissimam & quam ægrotantium & Medicorum error frequentissimam facit in morbis.


APHO-



APHORISMVS LIII.

Οκόσοισι τὰς κοιλίας ὑγρὰς ἔχουσι, νέοι μὲν ὄντες βελτίον ἀπαλλάσσουσι τῶν τὰς ξηρὰς ἐχόντων· ἐς δὲ τὸ γῆρας χεῖρον ἀπαλλάσσουσι· ξηραίνονται γὰρ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τοῖσιν ἀπογηράσκουσι.

Quibus aluus est humida, iuuentam quidem agunt facilius quam qui eandem siccam habent; sed senectute difficilius defunguntur, ipsis siquidem senescentibus fere resiccatur.



Vm vigesimus huius sectionis Aphorismus eâdem fere sententiâ constet, nec verisimile sit Hippocrati eam repetenti è memoria excidisse, id quod paulo antea dixerat: Fatendum est grauissimum & breuitatis studiosissimum authorem non leui de causa in ordinem iterato illam adduxisse & superioribus Aphorismis subijciendam voluisse.

An ergo *confirmari voluit quod proximo Aphoris-* *Ordo Aph.*

V

Sensus. *mo asseruerat de remedijs non mutandis quamuis vana & noxia viderentur*; docens non mirum illud esse, cum multa alia appareant bona aut praua quæ reuera non sunt eiusmodi: Aluus enim humida in iuuentute commoda videtur, quæ tamen vitio non caret; & sicca in senecture censetur difficilis quamuis conducat & iuuet. Certe quam hic vocat humidam, non ea est quam mollem appellauit in prognostico, vt notauimus Aphor. 20. Sed fusa & liquida quæ eo nomine peccat, quia nimiam bilis copiam arguit: Sicca vero in senectute licet ægre feratur, præstat tamen humidæ, quam efficit aut defluxus pituitæ à cerebro in intestina, aut concoctricis debilitas, pessimum omnium malorum quæ senibus contingere possint.

An potius dicendum, *vix fieri potuisse, vt tam multa meditatus Hippocrates de mutatione quæ ab arte procurari debet, non meminerit illius quæ à natura perficitur; Hanc autem proposuisse in manifestissimo & maximi ad valetudinem ponderis exemplo*: Quo quidem indicare voluit, vt monuimus supra, omnes alias pathematum vicissitudines quas ætatis mutatio secum adducit. Qui enim ob bilis feruorem febri, hæmorrhagiâ, cardiogmo, alijsque huius humoris affeclis vexari solent, hisce incommodis defunguntur accessu senectutis: Sic picrocholi ab epilepsia liberantur cum in senium declinarunt: sic arthritides, hæmicraniæ, colicæ, alijque morbi qui à bile oriuntur, aut decedunt in illa ætate, aut minuuntur. Sane hæc erat vera sedes huius obseruationis quam non nisi trallatitiam excepit Aphorismus 20. occasione scilicet difficultatis quæ in prognostico decernendo occurrit ex vario cor-

Vsus trallat.

porum habitu, vt eo loci enarrauimus.

Præter hæc autem præcipuum & primum forſan Hippocr. inſtitutum in hoc Aphoriſmo fuit vt doceret, in mutanda, aut retinenda conſuetudine ſemper habendam eſſe rationem vltimæ ætatis, & ita comparanda valetudinis auxilia pro iuuentute, vt nulla in ſenectutem importent damna: Multa enim ſunt iuuenibus commoda quæ iis ſeneſcentibus in praua mutantur vt aluus humida quæ ſicceſcit in ſenio. Sane vt in nauigatione prouidendum vt portus ad quem itur liber ſit & ſecurus, ſic in vitæ decurſu ita dirigenda eſt prior ætas, vt eam vltima tuta & facilis excipere poſſit; cauendumque præſertim ne huiuſce præſidia in illa conſumantur. Nam tenuis diæta, ſomni paucitas, frequens venæ ſectio, aliaque eiuſmodi ſpiritus & vires exhaurientia, in iuuentute fortaſſis tolerari poſſunt, ſed accelerant ſenectutem, eamque ſubſtractis naturæ ſubſidiis grauem & omnibus iniuriis opportunam reddunt. Amplum profecto præceptum quod non tantum omnia diætæ capita, ſed omnes etiam vitæ partes complectitur; quodque non tantum valetudini ſtudet, verùm etiam longæuitati, cui ſæpe nocet cura præſentis ſanitatis. Hac ergo cautione prudentiores facti iuuenes ita fingere & componere debent iuuentutem vt non modo illa ſit propugnaculum quoddam aduerſus mala ſenectutis venturæ; ſed etiam quaſi penus inſtructa omni genere commeatus pro leuiùs traducenda laborioſa illa ætate. Inter alia autem eo ſpectantia conſilia vnum eſt præcipuum, vt victus ratio quantum fieri poteſt ad humidum vergat: Cum enim ſenectus ſiccitate

Vſus tral-lat. 2.

definiatur, eo longior redditur adoleſcentia quo maior eſt humidi copia, tantúmque accelera-tur ſenium, quantùm ad ſiccitatem properatur. Hoc certiſſime innuere voluit Hippocr. præ-ſenti Aphoriſmo laudatâ alui humiditate, quaſi vna hæc obſeruatio fidem faceret in cæteris eſſe optandam procurandamque eiuſmodi qualitatem. Alios vſus habet hic Aphoriſmus tam ad progno-ſim quam ad curationem quos recenſuimus ſupra Aphor. 20.



APHORISMVS LIV.

Μεγέθη δὲ σώματος ἐννεάσαι μὲν ἐλευθέριον καὶ οὐκ ἀειδές· ἐγγηράσαι δὲ δύσχρηστον καὶ χεῖρον τῶν ἐλασσόνων.

Proceritas corporis in iuuentute liberalis & decora, in ſenectute incommoda & deterior breuitatæ.

Ordo Aph.



VTATIONIS naturalis conſiderationem ſub-iungendam voluit ei quæ ab arte fieri debet, propoſuitque eam quæ in alui conſtitutione, quæque pertinet ad res non naturales, excreta ſcilicet & retenta; Aliam iam affert in altitudinis corporeæ modo quæ in ordine rerum naturalium eſt: quaſi totius mutationis

naturalis ambitum hisce duobus exemplis includere voluerit.

Docet ergo proceritatem quæ in iuuentute decora est, in senectute incommodam & breuitate deteriorem esse: Nimirum quia senes qui longioris sunt staturæ, citius magisque incuruantur, quam qui breuioris: idque duplici de causa. Prima petitur à naturâ corporum in longum extensorum quorum extrema sunt debiliora, vt pote à centro vbi vis rerum est, longiùs semota: hinc enim fit, vt facilius contorqueantur, contrahantur, frangantur. Altera ducitur à viribus, quæ corporis molem, cui pares erant in iuuenta, eandem sustinere coguntur in senio, cùm iam minores & debiliores factæ sunt: nil enim mirum si tunc fatiscant sub onere, & si tanti ponderis non amplius potentes rectam, quæ antea fuerat in membris figuram, seruare nequeant. *Sensus Aph.* *Ratio Aph.*

Hæc autem sententia ex earum censu est quæ prima fronte ad artem nihil conferre videntur, quamuis attentiùs excussæ perhibeantur esse non contemnendi nec minimi vsus.

Primùm ergo docet de Senibus in morbum lapsis cautiora habenda esse consilia si proceræ staturæ sint, quam si breuis; quia cum debiliores sint, leniora aëris præsidia expostulant, nec tenuem adeo victum, nec magnas adeo euacuationes, vt alij pati possunt citra exolutionem. Sunt autem debiliores non solum quia virtus fusa per longum spatium minus habet roboris quam collecta in paruo; verum etiam quia proceritas arguit humidum tenue quod facile quidem extenditur, sed facile etiam resoluitur. *Vsus occultus prorius.*

Vſus tral-lat. Secundò, Proceritatem in Iuuene ægrotante eadem ſecum trahere incommoda quæ in ſene integro: Morbus enim in iuuene, ſenectus quædam eſt iuuentutis; ambo enim vires minuunt, & corpus deformant, ambo ſtant ad vitæ metas & ſæpius breuior eſt via ad mortem per morbum quam per ſenium. Hinc itaque fit vt proceritas iuueni decora quidem ſit in ſanitate; ſed in morbo deterior ſit breuiori ſtatura, & eadem cautione curari debeat ille ad paruum collatus qua ſenex procerus ad minorem: quemadmodum enim hic in morbum lapſus non ea ferre poteſt remedia quæ paruus ſuſtineret, ita neque iuuenis.

Non ſolum autem ad morbos ſpectat hoc præceptum, ſed ad totam diætæ rationem quæ lenior debet eſſe in longæ ſtaturæ viris; neque enim pares ſunt acrioribus exercitiis, aut magnis mutationibus, in aëre, in victu, in excretis, aliiſque eiuſmodi quæ vires exhauriunt; alioquin facile exoluuntur.

FINIS.


NOVA RATIO

Exponendi libros Acroamaticos

ARISTOTELIS.

PER QVAM

Reſtitutis quas ex induſtriâ ille ſuppreſsit ſententijs, tota illius mens clare patet & loca obſcuriora facile intelliguntur.




ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΕΡΙ ΦΥΣΙΚΗΣ Ἀκροάσεως τὸ Α'.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Α'.

ΕΠΕΙΔΗ τὸ Εἰδέναι καὶ τὸ Ἐπίστασθαι συμβαίνει περὶ πάσας τὰς μεθόδους ὧν εἰσιν ἀρχαὶ ἢ αἴτια, ἢ στοιχεῖα, ἐκ τοῦ ταῦτα γνωρίζειν (τότε γὰρ οἰόμεθα γινώσκειν ἕκαστον, ὅταν τὰ αἴτια γνωρίσωμεν τὰ πρῶτα καὶ τὰς ἀρχὰς τὰς πρώτας καὶ μέχρι τῶν στοιχείων.) δῆλον ὅτι καὶ τῆς περὶ φύσεως ἐπιστήμης πειρατέον πρότερον διορίσασθαι τὰ περὶ τὰς Ἀρχάς. Tex. 1.

Πέφυκε δὲ ἐκ τῶν γνωριμωτέρων ἡμῖν ἡ ὁδὸς καὶ σαφεστέρων, ἐπὶ τὰ σαφέστερα τῇ φύσει καὶ γνωριμώτερα, (οὐ γὰρ ταὐτὰ, ἡμῖν τε γνώριμα καὶ ἁπλῶς) διόπερ ἀνάγκη τὸν τρόπον τοῦτον προάγειν, ἐκ τῶν ἀσαφεστέρων μὲν τῇ φύσει, ἡμῖν δὲ σαφεστέρων, ἐπὶ τὰ σαφέστερα τῇ φύσει Tex. 2.



ARISTOTELIS PHYSICÆ AVSCVLATIONIS Lib. I.

CAPVT I.

Præfatio totius Operis.



VONIAM in omnibus Diſciplinis in quibus dantur Principia, Cauſæ vel Elementa, Cognitio & Scientia ex illorum notitia proficiſcuntur; (tunc enim putamus vnumquodque cognoſcere, cum nouerimus illius primas cauſas & prima principia, & vſque ad elementa *peruenerimus.*) Perſpicuum eſt quod in ſcientia naturali tentandum vt prius explicentur quæ ad Principia pertinent. Tex. 1.

Cum autem naturæ ductu eam ſequamur viam quæ nos ducit à rebus notioribus & euidentioribus ſecundum nos ad ea quæ ſunt euidentiora & notiora *ſecundum ſe*, *ſimpliciter*, *&* ſecundum naturam, (non ſunt enim eadem nobis nota, & nota ſimpliciter *& ſecundum ſe ; id enim nobis notum eſt quod eſt ſecundum ſenſum, notum vero ſimpliciter quod eſt ſecundum intellectum & rationem.*) Idcirco neceſſarium eſt eandem *hic* ſequi viam & à rebus ſecundum naturam obſcurioribus, notioribus tamen ſecundum nos, progredi ad eas quæ ſunt ſecundum Tex. 2.

naturam notiores & euidentiores. Ea vero ſunt nobis primùm perſpicua & manifeſta quæ ſunt magis confuſa *& compoſita*: Deinde ex ijs in cognitionem elementorum & principiorum veniunt qui illa *ſeparant &* diuidunt.

Tex. 3. Eamobrem ab vniuerſalibus ad ſingularia progredi oportet; Totum enim ſecundum ſenſum *& ſecundum nos*, notius eſt *quam ea ex quibus componitur:* Vniuerſale autem Totum quoddam eſt, comprehendit enim ſub ſe multa tanquam partes.

Tex. 4. Eadem aliquomodo eſt ratio Nominum ad Definitionem, *nomina enim ſunt notiora definitione*, quia totum quoddam indeterminate *& confusè* ſignificant; verbi gratia, *hoc nomen* Circulus, *ſignificat confusè naturam Circuli*: definitio vero ſingulas illius partes *explicat &* diuidit.

Tex. 5. Illud etiam *animaduertitur* in pueris qui primò omnes viros, appellant patres, & omnes mulieres matres, quorum vtrumque poſtea diſcernunt. *Cum itaque notiora nobis ſint vniuerſalia, prius agendum de principijs in vniuerſum.*

CAPVT II.

Examen opinionum veterum Philoſophorum de numero Principiorum.



NEcesse eſt ergo aut vnum eſſe Principium, aut plura; & ſi vnum ſit, aut eſſe immobile, vt Parmenides & Meliſſus aſſerunt, aut mobile vt *aiunt* Phyſici; quorum alij aerem, alij aquam primum principium eſſe ſtatuunt. Quod ſi plura ſint, vel

καὶ γνωριμώτερα. Ἔστι δ' ἡμῖν τὸ πρῶτον δῆλα καὶ σαφῆ τὰ συγκεχυμένα μᾶλλον, ὕστερον δ' ἐκ τούτων γίνεται γνώριμα τὰ στοιχεῖα καὶ αἱ ἀρχαὶ, διαιροῦσι ταῦτα.

Tex. 3. Διὸ ἐκ τῶν καθόλου ἐπὶ τὰ καθ' ἕκαστα δεῖ προϊέναι. τὸ γὰρ ὅλον κατὰ τὴν αἴσθησιν γνωριμώτερον· τὸ δὲ καθόλου, ὅλον τί ἐστι, πολλὰ γὰρ περιλαμβάνει ὡς μέρη τὸ καθόλου.

Tex. 4. Πέπονθε δὲ ταὐτὸ τοῦτο τρόπον τινὰ καὶ τὰ ὀνόματα πρὸς τὸν λόγον, ὅλον γάρ τι καὶ ἀδιορίστως σημαίνει, οἷον, ὁ Κύκλος· ὁ δὲ ὁρισμὸς αὐτοῦ διαιρεῖ εἰς τὰ καθ' ἕκαστα.

Tex. 5. Καὶ τὰ παιδία τὸ μὲν πρῶτον προσαγορεύει πάντας τοὺς ἄνδρας, πατέρας, καὶ μητέρας τὰς γυναῖκας, ὕστερον δὲ διορίζει τούτων ἑκάτερον.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Β'.



ΝΑΓΚΗ δ' ἤτοι μίαν εἶναι τὴν ἀρχὴν, ἢ πλείους· καὶ εἰ μίαν, ἤτοι ἀκίνητον ὥσπερ φησὶ Παρμενίδης καὶ Μέλισσος· ἢ κινουμένην, ὥσπερ οἱ Φυσικοί· οἱ μὲν, ἀέρα φάσκοντες εἶναι, οἱ δὲ ὕδωρ, τὴν πρώτην ἀρχήν. Εἰ δὲ πλείους, ἢ

πεπερασμένας, ἢ ἀπείρους· καὶ εἰ πεπερασμένας, πλείους δὲ μιᾶς, ἢ δύο, ἢ τρεῖς, ἢ τέτταρας, ἢ ἄλλον τινὰ ἀριθμόν. Καὶ εἰ ἀπείρους, ἢ οὕτως ὥσπερ Δημόκριτος, τὸ γένος ἕν, σχήματι ἢ καὶ εἴδει διαφερούσας, ἢ καὶ ἐναντίας.

Ὁμοίως δὲ ζητοῦσι καὶ οἱ τὰ ὄντα ζητοῦντες, πόσα· ἐξ ὧν γὰρ τὰ ὄντα ἐστὶ ζητοῦσι πρῶτον, Tex. 6.

Addenda est particula καὶ quæ in textu deficit.

[καὶ] ταῦτα πότερον ἕν, ἢ πολλά, ἢ πεπερασμένα, ἢ ἄπειρα. * ὥστε τὴν ἀρχὴν καὶ τὸ στοιχεῖον ζητοῦσι πότερον ἓν ἢ πολλά.

Τὸ μὲν οὖν εἰ ἓν καὶ ἀκίνητον τὸ ὂν σκοπεῖν, Tex. 8. οὐ περὶ φύσεώς ἐστι σκοπεῖν. ὥσπερ γὰρ καὶ τῷ γεωμέτρῃ οὐκ ἔτι λόγος ἐστὶ πρὸς τὸν ἀνελόντα τὰς ἀρχάς, ἀλλ' ἤτοι ἑτέρας ἐπιστήμης, ἢ πασῶν κοινῆς· οὕτως οὐδὲ τῷ περὶ ἀρχῶν. Οὐ γὰρ ἔτι ἀρχή ἐστιν, εἰ ἓν μόνον καὶ οὕτως ἕν ἐστιν, ἡ γὰρ ἀρχή τινὸς ἢ τινῶν.

Ὅμοιον δὴ τὸ σκοπεῖν εἰ οὕτως ἕν, καὶ Tex. 9. πρὸς ἄλλην θέσιν ὁποιανοῦν διαλέγεσθαι, τῶν λόγου ἕνεκα λεγομένων, οἷον τὴν Ἡρακλείτειον, ἢ εἴ τις φαίη ἄνθρωπον ἕνα τὸ ὂν εἶναι· ἢ λύειν λόγον ἐριστικόν, ὅπερ ἀμφότε- Tex.10. ροι μὲν ἔχουσι οἱ λόγοι καὶ ὁ Μελίσσου καὶ ὁ Παρμενίδου. καὶ γὰρ ψευδῆ λαμβάνουσι καὶ συλ-

erunt *numero* finita vel infinita. Si certo in numero supra vnitatem, aut duo erunt, aut tria, aut quatuor, aut aliquo alio numero. Si vero infinita, vel erunt sub vno genere *communi*, figurâ vero vel specie discrepantia, vt censuit Democritus; vel erunt contraria, *nihil inter se commune habentia, vt voluit Anaxagoras*.

Huic autem disquisitioni similis est *omnino* ea quâ aliqui numerum entium inuestigant; quærunt enim primò ex quibus illa constant, ET an hæc sint vnum, vel plura, ET si plura an sint *numero* finita vel infinita. Itavt *illi ipsi* quærant an vnum sit principium & elementum, vel plura. Tex. 6.

Non tamen Physicæ est inquirere vtrum ENS sit vnum & immobile: Quemadmodum enim in Geometria non est disceptandum cum eo qui illius principia destruit; sed ad aliam scientiam particularem vel ad omnium communem *Metaphysicam nimirum, hæc disceptatio spectat*: idem *omnino contingit*, in illa quæ de principiis *Physicis tractat, in qua supponendum est multa esse entia*. Si enim ens esset tantùm vnum, & vnum eo modo *quo volunt*, jam non esset principium: Nam principium est alicuius, aut aliquorum principium: *& ita, vt sit principium, debent multa esse entia, non vnum tantum*. Tex. 8.

Considerare item an sit vnum eo modo *quo volunt*, idem omnino est ac examinare aliquam earum propositionum quæ sermonis gratiâ *sine vllà probatione* afferuntur, cuiusmodi est Heracliti aut alterius qui diceret, omne quod est, esse vnum hominem; aut soluere rationes Sophisticas, cuiusmodi sunt quæ à Melisso & Parmenide proponuntur. Ambo enim falsa supponunt & male Tex. 9. Tex. 10.

* concludunt: (quanquam Ratio Meliſſi magis ſit – abſona nullamque habeat difficultatem) verùm non mirum eſt *ſi ex falſo principio praua ducatur concluſio & ſi vno abſurdo dato alia conſequantur, hoc enim facile accidit.*

Tex. 11. Nos vero ſupponimus, Ea quæ naturâ conſtant vel omnia, vel quædam *ſaltem* eſſe mobilia, quod quidem per inductionem patet. Deinde non omnes *Rationes* eſſe examinandas, ſed eas *ſolum* quæ ex principiis falſò deducuntur, non vero eas quæ aliundè. Exempli gratia, Geometra poteſt examire quadraturam Circuli quæ per ſectiones *probatur; hæc enim ex principijs Geometriæ deducitur*, non vero eam quam Antiphon *attulit*, *alia enim ſupponit principia. Idcirco non debet Phyſicus examinare rationes iſtorum Philoſophorum quæ deducuntur è principijs alienis à Phyſica, quæque propria illius principia euertunt.*

Tex. 12. Nihilominus quia accidit vt tetigerint difficultates ad Naturam ſpectantes, quamuis de Natura non tractauerint, fortaſſis è re erit paululum de ijs diſſerere : hæc enim ſpeculatio eſt vere Philoſophica.

Tex. 13. Principium autem omnium accomodatiſſimum *quod huic orationi dare poſſimus*, *illud eſt vt ſciatur*, quomodo intelligant omnia eſſe vnum *ens*: cum ens multis modis dicatur. Vtrum velint quod omnia ſint ſubſtantia, aut quantitas, aut qualitas *in genere & indeterminate*? An ſint ſubſtantia quædam *particularis*, verbi gratia, vnus homo, vnus equus, vna anima? An ſint vna qualitas, vt albedo, vel calor, aut aliquid aliud ſimile? Multùm enim illa * inter ſe differunt & impoſſibile eſt vt omnia *hæc* – *de vna eademque re* dicantur.

λόγιστοί εἰσι.* (μᾶλλον δὲ ὁ Μελίσσου φορτικὸς καὶ οὐκ ἔχων ἀπορίαν) ἀλλ' ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος, τἄλλα συμβαίνει· τοῦτο δὲ οὐδὲν χαλεπόν.

** Hæc parenthesi includenda sunt, quæ enim sequuntur Parmenidi & Melisso communia sunt.*

Tex 11 Ἡμῖν δὲ ὑποκείσθω, τὰ φύσει ἢ πάντα ἢ * ἔνια κινούμενα εἶναι, δῆλον δὲ ἐκ τῆς ἐπαγωγῆς. ἅμα δὲ οὐδὲ λύειν ἅπαντα προσήκει, ἀλλ' ἢ ὅσα ἐκ τῶν ἀρχῶν τις ἐπιδεικνὺς ψεύδεται· ὅσα δὲ μή, οὔ. οἷον τετραγωνισμὸν τὸν μὲν διὰ τῶν τμημάτων, γεωμετρικοῦ διαλῦσαι· τὸν δὲ Ἀντίφοντος, οὐ γεωμετρικοῦ.

** Dixit ἔνια quædam, hoc enim sufficit agenti contra philosophos qui ens immobile esse volebant.*

Tex. 12 Οὐ μὴν ἀλλ' ἐπειδὴ περὶ μὲν φύσεως οὔ, * φυσικὰς δὲ ἀπορίας συμβαίνει λέγειν αὐτοῖς, ἴσως ἔχει καλῶς ἐπὶ μικρὸν διαλεχθῆναι περὶ αὐτῶν· ἔχει γὰρ φιλοσοφίαν ἡ σκέψις.

** Aliqui explicant hunc textum alio modo quia nimirum legunt οὐ φυσικάς, cum virgula interponenda sit inter illa duo.*

Tex. 13. Ἀρχὴ δὲ οἰκειοτάτη πασῶν, ἐπειδὴ πολλαχῶς λέγεται τὸ ὄν, πῶς λέγουσιν οἱ λέγοντες εἶναι ἓν τὰ πάντα; πότερον οὐσίαν τὰ πάντα, ἢ ποσὰ τὰ πάντα, ἢ ποιά; καὶ πάλιν πότερον οὐσίαν μίαν τὰ πάντα, οἷον ἄνθρωπον ἕνα, ἢ ἵππον ἕνα, ἢ ψυχὴν μίαν; ἢ ποιὸν ἕν, καὶ τοῦτο οἷον λευκὸν, ἢ θερμὸν, ἢ τῶν ἄλλων τι τοιούτων. ταῦτα γὰρ πάντα διαφέρει τε πολύ; * καὶ ἀδύνατα λέγειν.

** Possunt dici quidem, sed de una sola re non possunt.*

Εἰ μὲν γὰρ ἔσται καὶ οὐσία καὶ ποσὸν καὶ ποιὸν, καὶ ταῦτα εἴτε ἀπολελυμένα ἀπ' ἀλλήλων, εἴτε μὴ· πολλὰ τὰ ὄντα. εἰ δὲ ἅπαντα ποιὸν ἢ ποσὸν, εἴτε οὔσης οὐσίας, εἴτε μὴ οὔσης, ἄτοπον, (εἰ δεῖ ἄτοπον λέγειν τὸ ἀδύνατον,) οὐδὲν γὰρ τῶν ἄλλων χωριστόν ἐστι παρὰ τὴν οὐσίαν, πάντα γὰρ καθ' ὑποκειμένου λέγεται τῆς οὐσίας. Tex.14

Μέλισσος δέ φησι τὸ ὂν ἄπειρον εἶναι, ποσὸν ἄρα τι τὸ ὄν· τὸ γὰρ ἄπειρον ἐν τῷ ποσῷ· οὐσίαν δὲ εἶναι ἄπειρον ἢ ποιότητα, ἢ πάθος, οὐκ ἐνδέχεται εἰ μὴ κατὰ συμβεβηκὸς, εἰ ἅμα καὶ ποσὰ ἄττα εἶεν. ὁ γὰρ τοῦ ἀπείρου λόγος τῷ ποσῷ προσχρῆται, ἀλλ' οὐκ οὐσία, οὐδὲ τῷ ποιῷ. εἰ μὲν τοίνυν καὶ οὐσία ἐστὶ καὶ ποσὸν, δύο, καὶ οὐχ ἓν, τὸ ὄν· εἰ δὲ οὐσία μόνον, οὐκ ἄπειρον οὐδὲ μέγεθος ἕξει οὐδὲν, ποσὸν γάρ τι ἔσται. Tex.15

Ἔτι ἐπεὶ καὶ αὐτὸ τὸ ἓν πολλαχῶς λέγεται ὥσπερ τὸ ὄν, σκεπτέον τινὰ τρόπον λέγουσιν ἓν εἶναι τὸ πᾶν. λέγεται δὲ ἓν ἢ τὸ συνεχὲς, ἢ τὸ ἀδιαίρετον, ἢ ὧν ὁ λόγος ὁ αὐτὸς καὶ Tex.16.

Si enim *ſimul* eſſent ſubſtantia, quantitas & qualitas, ſeu hæc ſeiuncta ſint ab inuicem, ſeu non, plura eſſent entia *contra ſuppoſitionem.* Quod ſi omnia ſint quantitas vel qualitas, ſiue ſit ſubſtantia ſiue non, abſurdum hoc erit (ſi abſurdum dicendum quod eſt impoſſibile) nihil enim eſt præter ſubſtantiam quod poſſit ſeparari *& ſubſiſtere per ſe*: *omnia* enim alia *inſunt &* dicuntur de ſubiecto quod eſt ſubſtantia. *Ideoque cum quantitate aut qualitate eſſet præterea ſubſtantia, & conſequenter multa eſſent entia non vnum, vt volunt.* Tex. 14.

Meliſſus autem vult Ens eſſe infinitum & *ex conſequenti* debet eſſe quædam quantitas, quoniam infinitum eſt in quantitate. At impoſſibile eſt vt ſubſtantia, aut qualitas, aut proprietas ſint infinita niſi per accidens, *nimirum* quia ſimul quanta ſunt, *& quia habent quantitatem cuius gratia infinita illa dicuntur*: Quantitas enim ingreditur definitionem infiniti, non vero ſubſtantia, aut qualitas: *Infinitum enim illud eſt quod fine & termino caret, vtrumque autem ad quantitatem pertinet non ad ſubſtantiam aut qualitatem.* Quod ſi ens ſit ſimul ſubſtantia & quantitas, *vt tunc contingeret*, ens non erit vnum ſed duo; aut ſi ſolùm ſit ſubſtantia, non erit infinitum nullamque habebit magnitudinem; nam magnitudo eſt quædam quantitas; *& proinde neceſſe eſt vt ens non ſit infinitum, aut non vnum, vt voluit Meliſſus.* Tex. 15.

Præterea cum vnum dicatur multipliciter, quemadmodum & ipſum ens, conſiderandum eſt quomodo velint omnia eſſe vnum. Dicitur enim vnum *aliquid*, vel quia Continuum *& non diuiſum* vt linea, vel quia eſt indiuiſibile *& ſine partibus vt punctum*, vel quorum vna eademque eſt eſſentia & Tex. 16.

definitio vt temetum, & vinum, *vnum enim quid esse dicuntur quia ambo vnam eandemque essentiam habent.*

Tex 17. Si itaque ens est vnum, quia continuum, vnum erit multa; quod enim continuum est, habet partes in quas diuidi potest in infinitum. Est quidem difficultas de Toto & Parte (fortassis autem ad hunc sermonem non spectat, sed in alium transferenda & seorsim explicanda) vtrùm Totum & Pars sint vna eademque res, an plures; & si non sint plures, quomodo vna sit; si vero plures, quomodo plures? * (nam eadem est *difficultas* de partibus non continuis *& discretis nimirum de partibus numeri.*) Quod si vnaquæque pars & totum sint vna eademque res quia non sunt diuisa *& separata ab inuicem*, eadem erit ratio aliarum partium inter se, *erunt enim vna eademque, quia non sunt etiam diuisæ, & proinde vnica tantum erit pars; Vnde sequetur partem esse æqualem toti, imo totum non esse totum, quia nullas habebit partes. Quod si Totum & Pars duo sunt, ens quod dicitur esse vnum per continuationem, non erit vnum sed multa, quia continuum omne habet partes.*

Tex. 18. At si Ens est vnum quia indiuisibile *& sine partibus*, neque quantum erit neque quale, *illud enim potest diuidi & habet partes; hoc vero supponit quantitatem*: Neque erit infinitum, vt ait Melissus, *quia infinitum in sola quantitate reperitur*; neque finitum, vt censuit Parmenides, Terminus enim *& finis* est *qui dicitur* indiuisibilis, finitum vero *& terminatum* non *dicitur indiuisibile*.

Tex. 19. At vero si velint omnia esse vnum, quia habent vnam essentiam *& definitionem*, vt vestimentum & indumentum, accidet eis vt idem cum Heraclito sentiant: eadem enim erit essentia boni

εἷς ὁ τοῦ τί ἦν εἶναι, ὥσπερ μέθυ καὶ οἶνος.

Tex 17 Εἰ μὲν τοίνυν συνεχές, πολλὰ τὸ ἕν, εἰς ἄπειρον γὰρ διαιρετὸν τὸ συνεχές. ἔχει δ' ἀπορίαν περὶ τοῦ μέρους καὶ τοῦ ὅλου, (ἴσως δὲ οὐδὲν πρὸς τὸν λόγον, ἀλλ' αὐτὴν καθ' αὑτήν.) πότερον ἓν ἢ πλείω τὸ μέρος καὶ τὸ ὅλον· καὶ πῶς ἕν, ἢ * πλείω·
* καὶ εἰ πλείω, πῶς πλείω· (καὶ * περὶ τῶν μερῶν τῶν μὴ συνεχῶν) καὶ εἰ τῷ ὅλῳ ἓν ἑκάτερον ὡς ἀδιαίρετον, ὅτι καὶ αὐτὰ αὑτοῖς.

* *Legendum* μὴ πλείω,, *non* ἢ πλείω *alias repeteret eandem propositionem in sequentibus verbis.*
* *Hæc parentheſi neceſſariò includenda ſunt quod à nemine obſeruatum.*

Tex.18. Ἀλλὰ μὴν ὡς ἀδιαίρετον, οὐδὲ ποσόν, οὐδὲ ποιόν· οὐδ' ἄπειρον τὸ ὄν, ὥσπερ Μέλισσός φησιν, οὐδὲ πεπερασμένον, ὥσπερ Παρμενίδης· τὸ γὰρ πέρας, ἀδιαίρετον, οὐ τὸ πεπερασμένον.

Tex.19. Ἀλλὰ μὴν εἰ τῷ λόγῳ ἓν τὰ ὄντα πάντα, ὡς λώπιον καὶ ἱμάτιον, τὸν Ἡρακλείτου λόγον συμβαίνει λέγειν αὐτοῖς. ταὐτὸν γὰρ ἔσται

καὶ ἀγαθῷ, καὶ κακῷ, καὶ μὴ ἀγαθῷ εἶναι καὶ ἀγαθῷ· ὥστε τὸ αὐτὸ ἔσται ἀγαθὸν καὶ οὐκ ἀγαθὸν καὶ ἄνθρωπος καὶ ἵππος· *(καὶ οὐ περὶ τοῦ ἓν εἶναι τὰ ὄντα ὁ λόγος ἔσται, ἀλλὰ περὶ τοῦ μηδέν·) καὶ τὸ τῷ τοιῳδὶ εἶναι καὶ τὸ τῷ τοσῳδὶ ταὐτόν. *

** Hac parenthesi includenda.*

Ἐθορυβοῦντο δὲ καὶ οἱ ὕστεροι καθάπερ οἱ ἀρχαῖοι μήποτε συμβαίνῃ αὐτοῖς ἅμα τὸ αὐτὸ ἓν εἶναι καὶ πολλά, διὸ οἱ μὲν τὸ Ἐστιν ἀφεῖλον ὥσπερ Λυκόφρων· οἱ δὲ τὴν λέξιν μετερρύθμιζον, ὅτι ὁ ἄνθρωπος οὐ λευκός ἐστιν, ἀλλὰ λελεύκωται· οὐδὲ βαδίζων ἐστιν, ἀλλὰ βαδίζει· ἵνα μὴ τὸ Ἐστι προσάπτοντες, πολλὰ εἶναι ποιῶσι τὸ ἕν, ὡς μοναχῶς λεγομένου τοῦ Ἑνὸς καὶ τοῦ Ὄντος. Tex.20

Πολλὰ δὲ τὰ ὄντα, ἢ λόγῳ, οἷον ἄλλο τῷ λευκῷ εἶναι καὶ μουσικῷ, τῷ δὲ αὐτῷ ἄμφω· πολλὰ ἄρα τὸ ἕν· ἢ διαιρέσει, ὥσπερ τὸ ὅλον καὶ τὰ μέρη. Tex. 21

Ἐνταῦθα δὲ διηπόρουν καὶ ὁμολόγουν τὸ ἓν πολλὰ εἶναι ὥσπερ οὐκ ἐνδεχόμενον τὸ αὐτὸ ἓν καὶ πολλὰ εἶναι, μὴ τὰ ἀντικείμενα· ἔστι γὰρ τὸ ἓν καὶ δυνάμει καὶ ἐντελεχείᾳ.

& mali, boni & non boni : Itaut vnum ídemque erit bonum & non bonum, homo & equus (& eiuſmodi diſcurſu non tam probabitur quod omnia ſunt vnum quàm quod omnia ſunt nihil) idemque erunt tale eſſe & tantum eſſe *qualitas & quantitas, quæ omnia ſunt abſurda.* *

Poſteri autem ſicut & antiqui conturbati ſunt *verentes* ne id quod eſt vnum, multa adhuc eſſe *fateri cogerentur* : Itaut quidam verbum, eſt, aufferrent *ab omni ſermone*, vt Lycophron, *qui nunquam dicebat paries eſt albus, ſed ſolùm paries albus.* Alij vero *vſitatam* loquendi formam immutabant *dicentes*, non, quod homo eſt albus, ſed quod albus factus ſit; nec, quod eſt ambulans, ſed, quod ambulat. Ne ſcilicet verbum, eſt, adiungendo efficerent vt quod eſt vnum, multa *ſimul* eſſet, quaſi vnum & ens vno tantummodo dicantur. Tex. 20.

Entia enim ſunt multa, aut ratione *& definitione*, alia enim eſt ratio *& definitio* Albi, alia Muſici, cum tamen vna eademq; res poſſit eſſe vtrumque; *vnus enim homo poteſt eſſe albus & muſicus*, & proinde vnum poteſt eſſe multa *hoc modo*. Aut *ſunt multa* diuiſione, quemadmodum Totum & Partes. *Totum enim cum ſit vnum & in multas partes diuidi poſſit, vnum eſt & multa.* Hîc vero difficultate premebantur & *inuiti* cogebantur fateri, vnum eſſe multa, quaſi impoſſibile eſſet vnum eſſe multa citra contradictionem, cum tamen *duplici ratione* aliquid poſſit eſſe vnum, potentiâ ſcilicet & actu, *cum vna eademque res ſit vna actu & multa potentiâ, aut potentiâ vna & multa actu.* Tex. 21.

CAPVT III.

Examen Rationum Melissi & Parmenidis.

Tex. 22. MANIFESTVM est ergo ijs qui hunc *philosophandi* modum sequuntur, impossibile esse vt ea quæ sunt, sint vnum. Nec difficile est destruere *rationes* quibus id demonstrare contendunt: Melissus enim & Parmenides sophistice argumentantur; supponunt enim falsa & male concludunt (Melissi quidem ratio magis est absona, nec vllam habet difficultatem) verum *non mirum est si* ex vno absurdo dato multa alia consequantur, hoc enim facile *accidit. Talis autem erat Melissi Ratiocinatio. Omne quod est factum, habet principium, ergo quod non est factum, non habet principium: Atqui Ens non est factum; esset enim factum aut ex ente aut ex nihilo: Non ex ente, quia iam est; ens enim cum sit non opus est vt fiat: Neque ex nihilo, ex nihilo enim nihil fit. Ens ergo non est factum & proinde non habet principium. Quod autem non habet principium, est infinitum, quia non habet terminum. Infinitum porro est vnum & immobile; vnum, quia omnia comprehendit; immobile, quia vbique est, nullum habens locum in quo possit moueri, igitur omne quod est, est vnum, infinitum, immobile.*

Tex. 23. Patet autem Melissum falsâ ratiocinatione vti, existimat enim ex eo quod omne quod est factum habet principium, sequi necessario, id quod non est factum, non habere principium. *Hæc enim consequentia æque est falsa ac si quis diceret, ex eo quod homo est animal, sequi necessario id quod non est homo, non esse animal.*

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Γ΄.

Tex.22 ΤΟΝ τε δὴ τρόπον τοῦτον ἐπιοῦσιν ἀδύνατον φαίνεται τὰ ὄντα ἓν εἶναι. Καὶ ἐξ ὧν ἐπιδεικνύουσι, λύειν οὐ χαλεπόν. Ἀμφότεροι γὰρ ἐριστικῶς συλλογίζονται καὶ Μέλισσος καὶ Παρμενίδης· καὶ γὰρ ψευδῆ λαμβάνουσι καὶ ἀσυλλόγιστοί εἰσι. (μᾶλλον δὲ ὁ Μελίσσου φορτικὸς λόγος καὶ οὐκ ἔχων ἀπορίαν) ἀλλὰ ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος τἄλλα συμβαίνει· τοῦτο δ' οὐδὲν χαλεπόν.

Hæc parentheſi includenda.

Tex.23 Ὅτι μὲν οὖν παραλογίζεται Μέλισσος δῆλον· οἴεται γὰρ εἰληφέναι, εἰ τὸ γινόμενον ἀρχὴν ἔχει ἅπαν, ὅτι καὶ τὸ μὴ γινόμενον οὐκ ἔχει.

* Εἶτα καὶ τοῦτο ἄτοπον, τὸ παντὸς εἶναι ἀρχὴν τοῦ πράγματος, καὶ μὴ τοῦ χρόνου καὶ γενέσεως (μὴ τῆς ἁπλῆς, ἀλλὰ ἀλλοιώσεως, ὥσπερ οὐκ ἀθρόας γινομένης μεταβολῆς.) *

** Textus hic à nullo interpretum intellectus est, quia παντὸς & πράγματος duo substantiua fecere, quasi velit Arist vniuersum habere principium rei & non temporis: non animaduertentes hanc esse propositionem Melissi quam expugnat παντὸς πράγματός ἐστιν ἀρχὴ* omne quod est factum habet principium. *In eum autem errorem inciderunt ex eo quod particulam καὶ non intellexere, est enim subiunctiua non coniunctiua, valetque hic idem ac* cum: *καὶ μὴ τοῦ χρόνου, suppl. ἔστιν ἀρχὴ,* cum tempus non habeat principium. *Certe transpositio verborum qua totam hunc textum peruertere coguntur, arguit eo modo quo vsi sumus, esse explicandum: tum quia consentit doctrina Aristotelis qui libris sequentibus docet non dari principium in tempore.*

Ἔπειτα καὶ διὰ τί ἀκίνητον, εἰ ἕν; ὥσπερ γὰρ καὶ τὸ μέρος ἓν ὄν, τοδὶ τὸ ὕδωρ, κινεῖται ἐν αὑτῷ, διὰ τί οὐ καὶ τὸ πᾶν; Ἔπειτα ἀλλοίωσις διὰ τί οὐκ ἂν εἴη; Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ τῷ εἴδει οἷόν τε ἓν εἶναι, πλὴν τῷ ἐξ οὗ· οὕτως δὲ ἓν καὶ τῶν φυσικῶν τινὲς λέγουσιν, ἐκείνως δ' οὔ· ἄνθρωπος γὰρ ἵππου ἕτερον τῷ εἴδει, καὶ τἀναντία ἀλλήλων. Tex. 24

Omnes interpretes hac verba ita explicant, sed aduersus Parmenidem idem est rationum modus, & si aliqui alij sint illi proprij.

Καὶ * πρὸς Παρμενίδην δὲ, ὁ αὐτὸς τρόπος τῶν λόγων, καὶ εἴ τινες ἄλλοι ἴδιοί εἰσι. Tex 25 *

Verum verbum λύσις quod sequitur, ad precedentia referri debet; ideoque videtur refutare has rationes quas proprias Parmenidis esse dixit.

Καὶ ἡ λύσις, τῇ μὲν ὅτι ψευδής, τῇ δὲ ὅτι οὐ συμπεραίνεται. ψευδὴς μὲν ᾗ ἁπλῶς λαμβάνει τὸ ὂν λέγεσθαι, λεγομένου πολλαχῶς.

Ἀσυμπέραστος δὲ, ὅτι εἰ μόνα τὰ λευκὰ ληφθείη σημαίνοντος ἓν τοῦ λευκοῦ, οὐδὲν

Præterea absurdum est *dicere* omne quod est factum, habere principium, cum Tempus & Generatio (non equidem simplex, sed Alteratio, vt pote mutatio quæ non tota simul fit, *sed successiue*) nullum habeant principium, *licet sint facta; non datur enim in illis primum mutatum esse, vt postea demonstrabitur.* *

Deinde quænam necessitas, vt *Ens* sit immobile, quia vnum? nam quemadmodum, vna illius pars, verbi gratia aqua, mouetur in seipsa, quare non & Totum? Deinde *quamuis non habeat motum localem, quid impedit* quominus habeat motum alterationis, *in qua solæ qualitates mutantur*? Præterea non potest esse vnum specie, sed tantùm materiâ: hoc enim modo quidam Physici asserunt esse vnum, non autem illo *priori modo*: Differt enim specie homo ab equo, & contraria à se inuicem. Tex. 24.

Quod ad Parmenidem *spectat*, vtitur ijsdem rationum modis, quamuis & aliqui sint illi proprij. *Ita enim argumentabatur, Omne quod est præter ens est non ens; atqui quod est vnum, est ens, ergo quod est præter vnum, est non ens, & proinde vnum est ens, & omne quod est, est vnum.* Soluitur vero *hæc argumentatio* partim quod falsa supponit, partim quod non recte concludit. Falsum supponit in eo quod accipiat Ens simpliciter quasi vno tantum modo diceretur, cùm tamen multipliciter dicatur. Male vero concludit, quia si sola Alba assumpta fuerint; & Album vnum sit *quemadmodum Ens*, nihil impe- Tex. 25.

* *Auerro. & D. Tho hanc minorem alio modo exponunt*, atqui omne quod est, est vnum. *Verum praua esset argumentatio si minor contineret id quod in conclusione debet esse. Id enim vult*

probare Parmenides, & certe illi obiecisset Aristoteles petitionem principij hic subesse. *

diet quominus multa sint alba, non vnum tantum. Nam album non esset vnum continuitate, *quia res albæ sunt diuisæ & separatæ inter se*: Neque essentiâ *& definitione*; Album enim differt essentia à subiecto cui inhæret; quamuis nihil sit quod sit separatum ab Albo: Album enim & subiectum differunt, non quia à se inuicem separata, sed quia habent diuersam essentiam *& definitionem. Idem autem dicendum de Ente: quamuis enim vnum dici possit, nihil obstat quominus multa sint entia particularia, cum omnia non possint esse vnum continuitate aut essentiâ, vt patet ex dictis.* Parmenides vero hoc non perspexerat.

Tex. 26. * *Verum vt relictâ argumentandi formâ ad rem veniamus*: Ij qui dicunt Ens esse vnum, *quia Ens & Vnum multipliciter dicuntur, ad tollendam ab hac propositione æquiuocationem*, debent necessario intelligere, quod Vnum non solum significat *& denotat* Ens *in genere* de quo potest prædicari, verumetiam id quod vere *& proprie* est ens, & id quod vere *& proprie* est vnum. *Cum ergo omnia quæ sunt in vniuerso, ad substantiam & accidens reducantur; non potest dici de Accidente quod sit vere Ens*; Accidens enim de subiecto aliquo prædicatur, *aliàs necesse esset*, vt id cuius est accidens, esset non-ens, est enim aliud ab ente, *dicunt enim quod omne quod est aliud ab ente est non-ens*, & sic aliquid esset, quod tamen esset non-ens; *subiectum enim reuera est, quod tamen ex suppositione esset non-ens.* * Quod igitur est in alio, *Accidens nimirum*, non erit id quod vere *& proprie* est ens; & esse quod habet, non erit aliquid, nisi ens multa significet, itaut vnumquodque sit aliquid: At supponunt Ens esse vnum.

Tex. 27. Si itaque id quod vere *& proprie* est Ens, nulli

ἤτοι πολλὰ τὰ λευκά, καὶ οὐχ ἕν. οὔτε γὰρ τῇ συνεχείᾳ ἓν ἔσται τὸ λευκόν· οὔτε τῷ λόγῳ· ἄλλο γὰρ τὸ εἶναι λευκῷ καὶ τῷ δεδεγμένῳ, καὶ
* οὐκ ἔσται παρὰ τὸ λευκὸν οὐδὲν χωριστόν· οὐ γὰρ ᾗ χωριστόν, ἀλλὰ τὸ εἶναι ἕτερον τῷ λευκῷ καὶ ᾧ ὑπάρχει.

ἀλλὰ τοῦτο Παρμενίδης οὔπω συνεώρα.

Tex 26 * Ἀνάγκη δὴ λαβεῖν τοῖς λέγουσιν ἓν τὸ ὂν εἶναι, μὴ μόνον ἓν σημαίνειν τὸ ὂν καθ' οὗ ἂν κατηγορηθῇ, ἀλλὰ καὶ ὅπερ ὄν, καὶ ὅπερ ἕν.

τὸ γὰρ συμβεβηκὸς καθ' ὑποκειμένου τινὸς λέγεται· ὥστε ᾧ συμβέβηκε τὸ ὄν, οὐκ ἔσται· ἕτερον γὰρ τοῦ ὄντος· ἔσται τι ἄρα οὐκ ὄν.

* Οὐ γὰρ δὴ ἔσται, ἄλλῳ ὑπάρχον, τὸ ὅπερ ὄν· οὐ γὰρ ἔσται ὄν τι αὐτῷ εἶναι, εἰ μὴ πολλὰ τὸ ὂν σημαίνει οὕτως, ὥστε εἶναί τι ἕκαστον· ἀλλ' ὑπόκειται τὸ ὂν σημαίνειν ἕν.

Tex.27 Εἰ οὖν τὸ ὅπερ ὂν μηδενὶ συμβέβηκεν,

Traduxi τὸ ὅπερ ὂν substantia, *nam repetitio illorum verborum* quod est vere ens *ita frequens est in hoc capite vt confundat mentem & rem obscuriorem reddat.*

ἀλλ' ἐκείνῳ, τί μᾶλλον τὸ ὅπερ ὂν σημαίνει τὸ ὂν, ἢ μὴ ὄν; εἰ γὰρ ἔσται τὸ ὅπερ ὄν, τὸ αὐτὸ καὶ λευκόν, τῷ λευκῷ δ' εἶναι μή ἐστιν ὅπερ ὄν, (οὐδὲν γὰρ οὐδὲ συμβεβηκέναι αὐτῷ οἷόν τε τὸ ὄν, οὐδὲν γὰρ ὄν, ὃ οὐχ ὅπερ ὄν) οὐκ ἄρα ὂν τὸ λευκόν, οὐκ οὕτω δέ, ὥσπερ τι μὴ ὄν, ἀλλ' ὅλως μὴ ὄν· τὸ ἄρα ὅπερ ὄν, οὐκ ὄν· ἀληθὲς γὰρ εἰπεῖν τὸ ὅτι λευκόν. τοῦτο δὲ οὐκ ὂν ἐσήμαινεν, ὥστε εἰ καὶ τὸ λευκὸν ἐσήμαινεν ὅπερ ὄν, πλείω ἄρα σημαίνει τὸ ὄν.

Necessario hic legendum εἴπερ ὅπερ ἓν τὸ ὄν, *est enim alterum membrum diuisionis proposite, ostendit enim supra Ens non posse esse* τὸ ὅπερ ὄν, *examinat iam* τὸ ὅπερ ἕν, *alias hoc membrum omissum fuisset. Dei de quia si seruetur vsitata lectio* εἴπερ ὅπερ ὂν τὸ ὄν, *nulla est consequentia quod nullam habebit magnitudinem, eritque ex censu rerum indiuisibilium vt ait tex. 30*

** Agens contra antiquos proponit* δίπουν *pro differentia essentiali hominis, definiebant enim hominem, animal bipes, verum eadem ratio militat pro vera differentia,* rationale, *nimirum.*

Οὐ τοίνυν οὐδὲ μέγεθος ἕξει τὸ ὄν, εἴπερ ὅπερ [ὂν] τὸ ὄν· ἑκατέρῳ γὰρ ἕτερον τὸ εἶναι τῶν μορίων. ὅτι δὲ διαιρεῖται τὸ ὅπερ ὄν, εἰς ὅπερ ὄν τι ἄλλο, καὶ τῷ λόγῳ φανερόν· οἷον ὁ ἄνθρωπος εἰ ἔστιν ὅπερ ὄν τι, ἀνάγκη καὶ τὸ ζῷον ὅπερ ὄν τι εἶναι, καὶ τὸ δίπουν. Εἰ γὰρ μὴ ὅπερ ὄντα, συμβεβηκότα ἔσται· ἢ οὖν τῷ ἀνθρώπῳ, ἢ ἄλλῳ τινὶ ὑποκειμένῳ. ἀλλ' ἀδύνατον· συμβεβηκός τε γὰρ ἔσται καὶ λέγεται τοῦτο, ἢ ὃ ἐνδέχεται ὑπάρχειν καὶ μὴ ὑπάρχειν· ἢ οὗ ὑπάρχει ἐν τῷ λόγῳ τοῦτο ᾧ συμβέβηκεν, οἷον τὸ μὲν καθῆσθαι ὡς χωριζόμενον· ἐν δὲ τῷ σιμῷ ὑπάρχει ὁ λόγος ὁ τῆς ῥινὸς ᾗ φαμὲν συμβεβηκέναι τὸ σιμόν. Tex 28 *

accidit, ſed ei *aliud accidit : vno verbo ſi ſubſtantia ſit illud quod eſt vere ens* , quare [ſubſtantia] ſignificabit potius ens quam non-ens : Nam ſi illa ipſa [ſubſtantia] ſit alba , & album non ſit verè ens (nullum enim ens poteſt illi accidere , cùm *ex ſuppoſitione* , nullum aliud ſit ens præter [ſubſtantiam] *)* album debet eſſe non-ens, non ita tamen vt ſit non-ens aliquod , ſed omnino *& ſimpliciter* non-ens ; & ideo [ſubſtantia] erit non-ens , cum vere dicatur quod ſit alba : Illud autem *Album* non ſignificat ens , *& proinde ſubſtantia non ſignificat potius ens quam non-ens*: quod ſi album ſignificat etiam id quod eſt vere ens, ergo ens multa ſignificat *& non vnum , vt vult Parmenides.*

τὸ ὅπερ ὄν. τὸ ὅπερ ὄν. οὐχ ὅπερ ὄν. τὸ ὅπερ ὄν.

At vero ſi Ens eſt vere *& proprie* vnum, nullam habebit magnitudinem , *eritque indiuiſibile*, *quod eſt impoſſibile, quia habet partes &* vnaquæque pars habet eſſe ab aliis diuerſum. Patet etiam ratione quòd [ſubſtantia] diuidatur [in aliquam aliam ſubſtantiam.] Si enim homo eſt [ſubſtantia quædam] neceſſe eſt vt animal & bipes *ex quibus hominem conſtare volunt*, ſint [ſubſtantiæ] quædam. Si enim non ſunt [ſubſtantiæ] erunt accidentia, eaque hominis aut alterius ſubiecti , vtrumque vero eſt impoſſibile. Certum enim eſt quod Accidens illud eſt & dicitur , quod poteſt eſſe & abeſſe ; vel in cuius definitione comprehenditur id cui accidit. Verbi gratia ſedere poteſt ſeparari , *& abeſſe ab homine qui poteſt ſedere aut non ſedere* : Et in definitione Simi continetur ratio NASI cui dicimus accidiſſe, eſſe Simum.

* τὸ ὅπερ ὄν. ὅπερ ὄντι. ὅπερ ὄντα,

Tex. 19. Præterea quæcumque ſunt in aliqua definitione aut ex quibus illa componitur, nunquam ſuſcipiunt in ſui definitione rationem Totius *cuius ſunt partes*: Verbi gratia in definitione Bipedis non continetur ratio hominis; neque in definitione Albi, ratio hominis albi.

Eamobrem rebus ita ſe habentibus; ſi Bipes eſt accidens Hominis, neceſſe eſt vt poſſit ab eo ſeparari, itaut homo poſſit non eſſe bipes: aut ratio hominis erit in definitione Bipedis, quod eſt impoſſibile, *aliàs omne bipes eſſet homo.* Illud vero bipes eſt id quod ingreditur definitionem Hominis. Quod ſi bipes & animal ſunt accidentia alterius *ſubiecti*, & neutrum illorum ſit ſubſtantia quædam, homo *qui ex his conſtat*, erit ex numero earum rerum quæ alteri accidunt: *quod eſt abſurdum, cùm certum ſit hominem eſſe ſubſtantiam.*

ὅπερ ὄν τι. At vero ſi *vtrumque* eſt [ſubſtantia quædam] nullius rei erunt accidentia, & quod dicetur de ambobus aut de vnoquoque eorum, dicetur etiam de eo quod ex ijs *componitur. Itaut ſi dicatur de animali & Bipede quòd ſint ſubſtantiæ, dicetur etiam, de Homine qui ex ijs conſtat, quòd ſit ſubſtantia. Si vero ſunt ſubſtantiæ, ſubſtantia habet partes, proindeque non eſt indiuiſibilis: quod erat demonſtrandum. Si itaque ens* * *eſt vere & proprie vnum*, Vniuerſum erit in cenſu rerum indiuiſibilium. *Quod abſurdum eſſe oſtendimus.*

Quidam vero aſſenſi ſunt vtrique earum rationum *quas contra Parmenidem attulimus*; tam illi *quæ concluditur*, quòd ſi omnia ſunt vnum (poſito * quod Ens eſt vnum) ſequeretur quod aliquid eſſet non-ens; quàm alteri quæ in diuiſione *fundatur*; aſſerentes dari magnitudines indiuiſibiles

Tex.29. Ἔτι, ὅσα ἐν τῷ ὁρισικῷ λόγῳ ἔνεστιν, ἢ ἐξ ὧν ἐστιν, ἐν τῷ λόγῳ τῷ τούτων οὐκ ἐνυπάρχει ὁ λόγος ὁ τοῦ ὅλου, οἷον ἐν τῷ δίποδι ὁ τοῦ ἀνθρώπου, ἢ ἐν τῷ λευκῷ, ὁ τοῦ λευκοῦ ἀνθρώπου. Ἔτι τοίνυν ταῦτα τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον, καὶ τῷ ἀνθρώπῳ συμβέβηκε τὸ δίπουν, ἀνάγκη χωριστὸν εἶναι αὐτό· ὥστε ἐνδέχοιτο ἂν μὴ δίπουν εἶναι τὸν ἄνθρωπον· ἢ ἐν τῷ λόγῳ τῷ τοῦ δίποδος ἐνέσται ὁ τοῦ ἀνθρώπου λόγος. ἀλλὰ ἀδύνατον· ἐκεῖνο γὰρ ἐν τῷ ἐκείνου λόγῳ ἔνεστιν. Εἰ δὲ ἄλλῳ συμβέβηκε τὸ δίπουν καὶ τὸ ζῷον, καὶ μὴ ἑκάτερον ὅπερ ὄν τι, καὶ ὁ ἄνθρωπος ἂν εἴη τῶν συμβεβηκότων ἑτέρῳ.

Tex.30 Ἀλλὰ τὸ ὅπερ ὄν τι ἔστω μηδενὶ συμβεβηκὸς καὶ καθ' οὗ ἄμφω καὶ ἑκάτερον καὶ τὸ ἐκ τούτων λεγέσθω.

* Ἐξ ἀδιαιρέτων ἄρα τὸ πᾶν.

Ἔνιοι δὲ ἐνέδοσαν τοῖς λόγοις ἀμφοτέροις· τῷ μὲν ὅτι πάντα ἕν (εἰ τὸ ὂν ἓν σημαίνει) ὅτι ἔστι καὶ τὸ μὴ ὄν· τῷ δὲ * τῆς διχοτομίας, ἄτομα ποιήσαντες μεγέθη.

* *Hæc parenthesi includenda.*
Supple περὶ *aut* κατὰ,

Φανερὸν δὲ καὶ ὅτι οὐκ ἀληθὲς, ὡς εἰ Tex.31.
ἓν σημαίνει τὸ ὄν, καὶ μὴ οἷόν τε ἅμα τὴν *
ἀντίφασιν εἶναι, οὐκ ἔσται οὐδὲν μὴ ὄν· οὐδὲν
γὰρ κωλύει μή, * ἁπλῶς εἶναι, ἀλλὰ μὴ ὄν
τι εἶναι τὸ μὴ ὄν.

Locanda est virgula post primum μὴ *alias propositio esset falsa, quasi diceret.* οὐδὲν κωλύει, τὸ μὴ ὂν μὴ εἶναι μὲν ἁπλῶς ἀλλὰ μὴ ὄν τι εἶναι.

τὸ δὴ φάναι παρ' αὐτὸ τὸ ὄν, ὡς εἰ μή τι ἔσται [ἄλλῳ,] ἓν πάντα ἔσεσθαι, ἄτοπον· τίς γὰρ μανθάνει αὐτὸ τὸ ὄν, εἰ μὴ τὸ ὅπερ ὄντι εἶναι; εἰ δὲ τοῦτο, οὐδὲν οὕτω κωλύει πολλὰ τὰ ὄντα εἶναι, ὥσπερ εἴρηται.

Legendum videtur ἄλλο.


Ὅτι μὲν οὖν οὕτως ἓν εἶναι τὸ ὂν ἀδύνατον δῆλον.

Plato enim fatebatur id quod est præter ens, esse non-ens; dicebatque accidens esse non-ens, respectu substantiæ, non ita tamen vt nihil omnino esset. Zeno vero censebat magnitudines non esse in infinitum diuisibiles, sed componi ex indiuisibilibus.

Quicquid vero dicant, manifestum est opinionem *Parmenidis* esse falsam, *& multa esse entia, non vnum tantum. Quamuis enim illi concederetur*, ens esse vnum, *itaut quicquid esset præter vnum, esset non-ens*; contradictoria etiam non posse esse simul; NON tamen *inde* sequitur non-ens, nihil esse omnino: Nihil enim obstat quominus id quod non est, sit non-ens quidem simpliciter *& absolutè*, sed non-ens quoddam *particulare. Quod quidem non impedit quin sit aliquid; negatio enim hominis non importat non-ens absolutè, cum multa sint reuera quæ non sunt homo. Et proinde propositio illa Parmenidis non excludit entium pluralitatem; sintque oportet multa Entia non vnum, vt censet.* Absurdum præterea est dicere quod si non sit aliquid aliud præter ens, sequi omnia esse vnum. Quis enim non intelligit per ipsum Ens, aliquod ens particulare? Si autem ita se res habet, nihil obstat quominus multa sint Entia, vt diximus. *In hac enim propositione quicquid est præter ens, est non-ens. Si Ens significet aliquid singulare, falsum est asserere illud esse non-ens absolutè; quemadmodum si quis diceret, id quod non est hæc ipsa res, nihil esse omnino.* Ex hoc ergo perspicuum est, Ens non posse esse vnum. Tex. 31. *

CAPVT IV.

Examen opinionis Anaxagoræ.

Tex. 32  Vod ad opinionem Philoſophorum naturalium, illa duplex eſt. Alij enim cùm velint Ens eſſe vnum, ſtatuentes *ſcilicet* corpus pro ſubiecto *omniumrerum quæ fiunt*, quod quidem eſt vnum ex tribus Elementis, (*nam de terra nullam faciunt mentionem*) aut aliud quoddam igne denſius & aëre rarius, ex quo cætera gignuntur per condenſationem & rarefactionem; faciunt quoque, *vt Ens ſit vnum & multa*: *Rarum enim & denſum* ſunt inter ſe contraria. In vniuerſum eſt exceſſus & defectus, magnum & paruum, vt ait Plato. *Cuius quidem opinio ab alijs non differt*, niſi quia Contraria ponit pro materia, Vnum vero pro forma: at illi *volunt* vt Vnum ſit ſubiectum, materia nimirum; Contraria vero ſint differentiæ & formæ. Alij *trahunt & ſeparant* ab vno, contrarietates in quo *confuſæ* inerant, vt Anaximander; Et omnino quicumque dicunt ens eſſe vnum & multa, vt Empedocles & Anaxagoras: Hi enim alia omnia *quæ fiant* ſeparant ex mixturâ & *chao*. Verum inter ſe differunt quod hic circuitum, & *circulationem* in illa faciat, *itaut multoties ex chao ſeparentur*: Ille vero ſemel *hoc factum fuiſse contendit*. Ille quoque *volebat principia* eſſe infinita, ſimilaria & contraria: Hic vero ea ſola *ponebat* quæ elementa vocantur.

Tex. 33 Videtur autem Anaxagoras cenſuiſſe Principia eſſe infinita, ex eo quod putauit veram eſſe communem Philoſophorum naturalium ſententiam;

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Δʹ.

Tex. 32 ΩΣ δὲ οἱ φυσικοὶ λέγουσι, δύο τρόποι εἰσίν. οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες τὸ ὄν, σῶμα τὸ ὑποκείμενον, ἢ τῶν τριῶν τι, ἢ ἄλλο, ὅ ἐστι πυρὸς μὲν πυκνότερον, ἀέρος δὲ λεπτότερον, τἆλλα γεννῶσι * πυκνότητι καὶ μανότητι, πολλὰ ποιοῦντες. ταῦτα δ' ἐστὶν ἐναντία. καθ' ὅλου δ' ὑπεροχὴ καὶ ἔλλειψις, ὥσπερ τὸ μέγα φησὶ Πλάτων καὶ τὸ μικρόν· πλὴν ὅτι, ὁ μὲν, ταῦτα ποιεῖ ὕλην, τὸ δὲ ἓν τὸ εἶδος· οἱ δὲ τὸ μὲν ἓν τὸ ὑποκείμενον, ὕλην· τὰ δὲ ἐναντία, διαφορὰς καὶ εἴδη.

Οἱ δ' ἐκ τοῦ ἑνὸς ἐνούσας τὰς ἐναντιότητας ἐκκρίνουσιν, ὥσπερ Ἀναξίμανδρός φησι, καὶ ὅσοι δ' ἓν καὶ πολλά φασιν εἶναι, ὥσπερ Ἐμπεδοκλῆς, καὶ Ἀναξαγόρας· ἐκ τοῦ μίγματος γὰρ καὶ οὗτοι ἐκκρίνουσι τὰ ἄλλα. διαφέρουσι δ' ἀλλήλων, τῷ τὸν μὲν περίοδον ποιεῖν τούτων· τὸν δ' ἅπαξ. καὶ τὸν μὲν, ἄπειρα, τά τε ὁμοιομερῆ καὶ τἀναντία· τὸν δὲ τὰ καλούμενα στοιχεῖα μόνον.

Tex. 33. Ἔοικε δὲ Ἀναξαγόρας οὕτως ἄπειρα οἰηθῆναι τὰ στοιχεῖα, διὰ τὸ ὑπολαμβάνειν τὴν κοινὴν δόξαν τῶν φυσικῶν εἶναι ἀληθῆ, ὡς οὐ γι-

νομιζομένου οὐδενὸς ἐκ τοῦ μὴ ὄντος. διὰ τοῦτο γὰρ οὕτω λέγουσι, ἦν ὁμοῦ τὰ πάντα, καὶ τὸ γίνεσθαι τοιόνδε καθέστηκεν ἀλλοιοῦσθαι· οἱ δὲ σύγκρισιν καὶ διάκρισιν.

Ἔτι δ' ἐκ τοῦ γίνεσθαι ἐξ ἀλλήλων τἀναντία, ἐνυπῆρχεν ἄρα· εἰ γὰρ πᾶν μὲν τὸ γινόμενον ἀνάγκη γίνεσθαι ἢ ἐκ ὄντων, ἢ ἐκ μὴ ὄντων· τούτων δὲ, τὸ μὲν ἐκ μὴ ὄντων γίνεσθαι ἀδύνατον (περὶ γὰρ ταύτης ὁμογνωμονοῦσι τῆς δόξης ἅπαντες οἱ περὶ φύσεως) τὸ λοιπὸν ἤδη συμβαίνειν ἐξ ἀνάγκης ἐνόμισαν, ἐξ ὄντων μὲν καὶ ἐνυπαρχόντων, διὰ δὲ σμικρότητα τῶν ὄγκων, ἐξ ἀναισθήτων ἡμῖν. Διό φασιν πᾶν ἐν παντὶ μεμίχθαι, διότι πᾶν ἐκ παντὸς ἑώρων γινόμενον. φαίνεσθαι δὲ διαφέροντα καὶ προσαγορεύεσθαι ἕτερα ἀλλήλων, ἐκ τοῦ μάλιστα ὑπερέχοντος, διὰ τὸ πλῆθος ἐν τῇ μίξει τῶν ἀπείρων. εἰλικρινῶς μὲν γὰρ ὅλον λευκὸν, ἢ μέλαν, ἢ σάρκα, ἢ ὀστοῦν οὐκ εἶναι· ὅτου δὲ πλεῖστον ἕκαστον ἔχει, τοῦ δοκεῖν εἶναι φύσιν τοῦ πράγματος. Tex.34

Εἰ δὴ τὸ μὲν ἄπειρον ᾗ ἄπειρον ἄγνωστον· τὸ μὲν κατὰ τὸ πλῆθος, ἢ μέγεθος ἄγνωστον ποσόν τι· τὸ δὲ κατ' εἶδος ἄπειρον, ἄγνωστον ποιόν τι. τῶν δ' ἀρχῶν ἀπείρων οὐσῶν καὶ κατὰ πλῆθος καὶ κατ' εἶδος, ἀδύνατον εἰδέναι τὰ ἐκ τούτων. οὕτω γὰρ εἰδέναι τὸ σύνθετον ὑπολαμβάνομεν, ὅταν εἰδῶμεν ἐκ τίνων καὶ πόσων ἐστίν. Tex.35.

quod ſcilicet ex nihilo nihil fiat: Idcirco enim dicunt omnia eſſe ſimul, & generationem nihil eſſe aliud quam alterationem, vel vt alij *volunt, nihil aliud quam* coniunctionem & ſeparationem.

Quia vero Contraria fiunt ex ſe inuicem, ideo ineſſe & *præexſtitiſſe debuerunt*: Si enim omne quod fit, neceſſario fieri debet aut ex ijs quæ ſunt, aut ex ijs quæ non ſunt, impoſſibile vero eſt vt fiat ex ijs quæ non ſunt (in hoc enim conueniunt omnes Philoſophi naturales) ſequitur neceſſariò vt fiat ex ijs quæ ſunt & inſunt, ſed quæ ob molis paruitatem, noſtris ſenſibus non patent. Ideo dicunt omnia eſſe in omnibus, quia vident omnia fieri ex omnibus; Alia vero apparere & dici differentia *& diuerſa* interſe, ex eo quod in mixtione infinitorum *illorum* aliud exuperat cætera in multitudine: Eamobrem nihil eſſe ſincerum, *nihilque eſſe omnino* album aut nigrum; carnem vel os, ſed cuius plurimum quæque res habet, hoc videri naturam rei quæ facta eſt. *In carne enim omnia alia inſunt, ſed dicitur caro quia plurimum carnis habet, ſicut vinum in quo pauca eſt aqua, dicitur vinum, quia plurimum vini habet.* Tex.34.

Cum autem infinitum quatenus infinitum non poſſit comprehendi, quod eſt infinitum ſecundum multitudinem vel magnitudinem, eſt quantitas incomprehenſibilis: Quod vero eſt infinitum ſecundum *formam* & ſpeciem, eſt qualitas etiam incomprehenſibilis. Itaque ſi principia ſunt infinita tam numero quam ſpecie, impoſſibile eſt vt ea quæ ex ijs fiunt, cognoſcantur; putamus enim cognoſcere compoſitum, cum nouerimus ex quibus & ex quot illud conſtet. Tex. 35.

Tex. 36. Præterea si necesse sit vt cuius *Totius* pars potest esse sub quacunque quantitate tam secundum magnitudinem quam paruitatem, Totum etiam possit esse *sub eadem quantitate*: (loquor autem de ijs partibus quæ in toto sunt & in quas illud diuiditur, *hæc enim propositio non est vera de alijs.*) Et si impossibile sit vt animal & planta sint sub quacumque quantitate tam secundum magnitudinem quam paruitatem, (*cum quædam sit quantitas tam magna aut tam parua vt sub eà animal & planta subsistere nequeat.*) perspicuum est quod nulla *illarum* partium possit etiam esse quantacumque (eadem enim est ratio Totius *& Partis*:) caro *nimirum*, os & aliæ animalium partes & fructus plantarum. Sequitur ergo quod impossibile sit vt caro, os & aliud quodlibet eiusmodi, sint sub qualibet quantitate tam secundum magnitudinem quam paruitatem: *& proinde non possunt esse in omnibus, vt volunt, aliàs enim essent minora quam natura illorum ferat.*

Tex, 37. Deinde si omnia hæc sunt *simul &* in se inuicem, neque fiant, sed præexistentia solummodò separentur, appellationem vero sumant ab eo quod quantitate superat; denique quodlibet fiat ex quolibet, verbi gratia, aqua ex carne per separationem, & caro ex aqua *eodem modo*; Verumque sit omne corpus finitum consumi per *continuam* ablationem corporis finiti *& determinati*: Manifestum est quod vnumquodque non potest esse in vnoquoque. Separatâ enim carne ab aqua, rursus alia fiat caro; hæc debet separari ab *aquæ* residuo: Et quamuis per separationem minor semper fiat, attamen in paruitate non superabit omnem magnitudinem, *nec erit ita parua quin adhuc habeat ali-*

Ἔτι δ' εἰ ἀνάγκη, οὗ τὸ μόριον ἐνδέχεται ὁπηλικονοῦν εἶναι κατὰ μέγεθος καὶ σμικρότητα, καὶ αὐτὸ ἐνδέχεσθαι (λέγω δὲ τῶν τοιούτων τι μορίων εἰς ὃ ἐνυπάρχον διαιρεῖται τὸ ὅλον) εἰ δὲ ἀδύνατον ζῷον, ἢ φυτὸν ὁπηλικονοῦν εἶναι κατὰ μέγεθος καὶ μικρότητα, φανερὸν ὅτι οὐδὲ τῶν μορίων ὁτιοῦν· (ἔσται * γὰρ καὶ τὸ ὅλον ὁμοίως.) σὰρξ δὲ καὶ ὀστοῦν καὶ τὰ τοιαῦτα μόρια ζῴου καὶ οἱ καρποὶ τῶν φυτῶν.

* Hæc parenthesi includenda.

δῆλον τοίνυν ὅτι ἀδύνατον, σάρκα, ἢ ὀστοῦν, ἢ ἄλλο τι ὁπηλικονοῦν εἶναι τὸ μέγεθος, ἢ ἐπὶ τὸ μεῖζον, ἢ ἐπὶ τὸ ἔλαττον.

Tex.37 Ἔτι, εἰ ἅπαντα μὲν ἐνυπάρχει τὰ τοιαῦτα ἐν ἀλλήλοις, καὶ μὴ γίνεται, ἀλλ' ἐκκρίνεται ἐνόντα, λέγεται δὲ ἀπὸ τοῦ πλείονος, γίνεται δὲ ἐξ ὁτουοῦν ὁτιοῦν, οἷον ἐκ σαρκὸς ὕδωρ ἐκκρινόμενον, καὶ σὰρξ ἐξ ὕδατος· ἅπαν δὲ σῶμα πεπερασμένον ἀναιρεῖται ὑπὸ σώματος πεπερασμένου· φανερὸν ὅτι οὐκ ἐνδέχεται ἐν ἑκάστῳ ἕκαστον ὑπάρχειν. Ἀφαιρεθείσης γὰρ ἐκ τοῦ ὕδατος σαρκὸς, καὶ πάλιν ἄλλης γενομένης, ἐκ τοῦ λοιποῦ ἀποκρίσει· εἰ καὶ ἀεὶ ἐλάττων ἔσται ἡ ἐκκρινομένη, ἀλλ' ὅμως οὐχ ὑπερβάλλει μέγεθός τι τῇ σμικρότητι.

ὥστε ἢ μὲν στήσεται ἡ ἔκκρισις, οὐχ ἅπαν ἐν παντὶ ἐνέσται, ἐν γὰρ τῷ λοιπῷ ὕδατι οὐκ ἐνυπάρξει σάρξ· Εἰ δὲ μὴ στήσεται, ἀλλ' ἀεὶ ἕξει ἀφαίρεσιν, ἐν πεπερασμένῳ μεγέθει ἴσα πεπερασμένα ἐνέσται, ἄπειρα τὸ πλῆθος· τοῦτο δ' ἀδύνατον.

Πρὸς δὲ τούτοις, εἰ ἅπαν μὲν σῶμα ἀφαιρεθέντος τινὸς ἔλαττον ἀνάγκη γίνεσθαι, τῆς δὲ σαρκὸς ὥρισται τὸ ποσὸν καὶ μεγέθει, καὶ σμικρότητι, φανερὸν ὅτι ἐκ τῆς ἐλαχίστης σαρκὸς οὐδὲν ἐκκριθήσεται σῶμα, ἔσται γὰρ ἔλαττον τῆς ἐλαχίστης. Ἔτι δ' ἐν τοῖς ἀπείροις σώμασιν ἐνυπάρχοι ἂν ἤδη σὰρξ ἄπειρος καὶ αἷμα, καὶ ἐγκέφαλος κεχωρισμένα μέντοι, ἀπ' ἀλλήλων· οὐδὲν δὲ ἧττον ὄντα καὶ ἄπειρον ἕκαστον· τοῦτο δέ, ἄλογον. Tex. 38

Τὸ δὲ μηδέποτε διακριθήσεσθαι, οὐκ εἰδότως μὲν λέγεται, ὀρθῶς δὲ λέγεται· τὰ γὰρ πάθη ἀχώριστα. Εἰ οὖν μέμικται τὰ χρώματα καὶ αἱ ἕξεις, ἐὰν διακριθῶσιν, ἔσται τι λευκὸν ἢ ὑγιεινὸν, οὐχ ἕτερόν τι ὄν, οὐδὲ καθ' ὑποκειμένου. Tex. 39 *

quam quantitatem. Itaut si separatio non amplius fieri possit, omnia non erunt in omnibus. Nam in aqua restante nulla amplius inerit caro, *si enim aliqua superesset, separari posset, at ex suppositione separatio non potest amplius fieri.* Quod si adhuc separatio fieri potest, *sequitur quod* in magnitudine finita insunt infinitæ partes æquales & determinatæ, quod impossibile est: *nam corpus finitum non consumeretur per continuam ablationem magnitudinis finitæ & determinatæ.*

Præterea si necesse est, vt omne corpus minus fiat cum ab eo aliqua pars auffertur; & si quantitas carnis est determinata quoad magnitudinem & paruitatem, *vt diximus*, sequitur quod ex minima carne nullum corpus secerni potest, esset enim minus illâ quæ *omnium* minima est. Denique *si omnia essent in omnibus & si principia essent infinita oporteret vt* in vnoquoque horum corporum infinitorum inesset caro infinita, sanguis *infinitus*, *infinitum* cerebrum eaque *distincta &* separata à se inuicem. Illorum autem quodlibet non minus esset infinitum quam alia, hoc autem est absurdum, *in vna enim re essent infinities infinita.* Tex. 38.

Verum in eo quod dicunt separationem non posse fieri, recte quidem dicunt, sed scienter non dicunt: nam *accidentia &* proprietates non possunt separari, *itaut subsistant postquam separata fuerint.* Si itaque colores & habitus permixti sint, vt aiunt, postquam separata fuerint, tunc erit aliquod album aut sanum, quamuis nulla alia sit natura *quæ sit talis*, nullumq; subiectum *de quo illud enuncietur, quod est impossibile. Nam esse album dicit albedinem & subiectum de quo albedo prædicatur, & proinde album non potest* Tex. 39. *

separari, album enim ex sola albedine constaret.

Itaut intelligentia illa *quæ facit hanc separationem, vt ait Anaxagoras*, esset inepta tentare ea quæ fieri non possunt, si nimirum vellet separare id quod non potest *separari.* Hoc enim non potest fieri neque in quantitate, neque in qualitate: In quantitate quidem, quia non datur minima magnitudo, *cum sit in infinitum diuisibilis*, neque in qualitate, quia proprietates sunt inseparabiles.

Tex. 40. Fallitur etiam cum *ostensurus omnia ex omnibus fieri*, rerum homogenearum productionem in medium adducit; quamuis enim lutum diuidatur in partes quæ sunt *etiam* lutum; non eadem est ratio
* aliarum rerum: Atque ex eo quod aër & aqua ex se inuicem fiunt, non sequitur, vt idem in aliis fiat; neque vt lateres ex domo fiant, sicut domus ex lateribus fit, *hoc enim contingit tantum in quibusdam.* Præstat ergo pauciora & finita principia statuere vt fecit Empedocles.

CAPVT V.

Quod omnes Philosophi principia fecerint Contraria.

Tex. 41 MNES equidem principia faciunt contraria, tam *Physici quam ij* qui dicunt vniuersum esse vnum & immobile. Nam Parmenides calidum & frigidum facit principia, eaque vocat ignem & terram. Alij vero rarum & densum; Democritus plenum & vacuum, *omnes vero* asserunt alterum *horum contrariorum* se habere vt ens, alterum vt non-ens,

ὥστε ἄτοπος τὰ ἀδύνατα ζητῶν ὁ Νοῦς, εἴπερ βούλεται μὲν διακρῖναι. τοῦτο δὲ ποιῆσαι ἀδύνατον, καὶ κατὰ τὸ ποσὸν, καὶ κατὰ τὸ ποιόν: καὶ κατὰ μὲν τὸ ποσὸν, ὅτι οὐκ ἔστιν ἐλάχιστον μέγεθος· κατὰ δὲ τὸ ποιὸν, ὅτι ἀχώριστα τὰ πάθη.

Tex 40 Οὐκ ὀρθῶς δ' οὐδὲν, τὴν γένεσιν λαμβάνει τῶν ὁμοιομερῶν· ἔστι γὰρ ὡς ὁ πηλὸς εἰς πήλους διαιρεῖται, ἔστι δ' ὡς οὔ· καὶ οὐχ ὁ αὐτὸς τρόπος, * ὡς πλίνθοι ἐκ οἰκίας, καὶ οἰκία ἐκ πλίνθων· οὕτω δὲ καὶ ὕδωρ, καὶ ἀὴρ ἐξ ἀλλήλων, καὶ εἰσὶ καὶ γίνονται. βέλτιον δ' ἐλάττω καὶ πεπερασμένα λαβεῖν, ὥσπερ ποιεῖ Ἐμπεδοκλῆς.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Ε'.

Tex.41. ΠΑΝΤΕΣ δὴ τἀναντία Ἀρχὰς ποιοῦσι, οἵτε λέγοντες ὅτι ἓν τὸ πᾶν καὶ μὴ κινούμενον. καὶ γὰρ Παρμενίδης θερμὸν καὶ ψυχρὸν ἀρχὰς ποιεῖ, ταῦτα δὲ προσαγορεύει πῦρ καὶ γῆν· καὶ οἱ μανὸν καὶ πυκνόν· καὶ Δημόκριτος τὸ στερεὸν καὶ κενόν· ὧν τὸ μὲν ὡς ὄν, τὸ δ' ὡς οὐκ ὂν εἶναί φησιν·

ἔτι θέσει, σχήματι, τάξει, ταῦτα δὲ γένη ἐναντίων· θέσει ὡς ἄνω, κάτω, πρόσθεν, ὄπισθεν· σχήματι, γεγωνιωμένον, ἀγώνιον, εὐθύ, περιφερές.

Ὅτι μὲν οὖν τἀναντία πως πάντες ποιοῦσι τὰς ἀρχὰς δῆλον. Καὶ τοῦτο εὐλόγως, δεῖ γὰρ τὰς ἀρχὰς μήτε ἐξ ἀλλήλων εἶναι, μήτε ἐξ ἄλλων, καὶ ἐκ τούτων πάντα· τοῖς δὲ ἐναντίοις τοῖς πρώτοις ὑπάρχει ταῦτα· διὰ μὲν τὸ πρῶτα εἶναι, μὴ ἐξ ἄλλων· διά τε τὸ ἐναντία, μὴ ἐξ ἀλλήλων. ἀλλὰ δεῖ τοῦτο καὶ ἐπὶ τοῦ λόγου σκέψασθαι, * πῶς συμβαίνει. Tex. 42 *

Ληπτέον δὴ πρῶτον ὅτι ἁπάντων τῶν ὄντων, οὐδὲν οὔτε ποιεῖν πέφυκεν, οὔτε πάσχειν τὸ τυχὸν ὑπὸ τοῦ τυχόντος· οὐδὲ γίνεται ὁποιονοῦν ἐξ ὁτουοῦν ἐὰν μή τις λαμβάνῃ κατὰ συμβεβηκός· πῶς γὰρ ἂν γένοιτο τὸ λευκὸν ἐκ μουσικοῦ, πλὴν εἰ μὴ κατὰ συμβεβηκὸς εἴη τῷ λευκῷ ἢ τῷ μέλανι τὸ μουσικόν; ἀλλὰ λευκὸν μὲν γίνεται ἐξ οὐ λευκοῦ, καὶ τούτου οὐκ ἐκ παντός, ἀλλ' ἐκ μέλανος, ἢ τῶν μεταξύ. καὶ μουσικὸν ἐξ οὐ μουσικοῦ, πλὴν οὐκ ἐκ παντὸς ἀλλ' ἐξ ἀμούσου, ἢ εἴ τι αὐτῶν ἐστι μεταξύ. Tex. 43

Οὐδὲ δὴ φθείρεται εἰς τὸ τυχὸν πρῶτον οἷον τὸ λευκὸν, οὐκ εἰς μουσικὸν, πλὴν εἴποτε κατὰ συμβεβηκός, ἀλλ' εἰς τὸ μὴ λευκόν· καὶ τὸ μὴ λευκὸν οὐκ εἰς τὸ τυχόν, ἀλλ' εἰς τὸ μέλαν ἢ τὸ μεταξύ. ὡσαύτως δὲ καὶ τὸ μουσικὸν εἰς τὸ μὴ μουσικόν, καὶ τοῦτο οὐκ εἰς τὸ τυχόν, ἀλλ' εἰς τὸ ἄμουσον, ἢ εἴ τι αὐτοῦ ἐστι μεταξύ. Tex. 44

eadem quoq; *est ratio* situs, Figuræ, ordinis, sunt enim hæc contrariorum genera: Nam esse supra, infra, ante, retrò ad situm *pertinent*; quemadmodum esse angulis præditum, expers angulorum, rectum, circulare, ad Figuram.

Itaut *certum sit quod* omnes faciunt principia aliquo modo contraria. Et hoc quidem rectè, oportet enim vt principia non fiant ex se inuicem, neque ex alijs, sed vt ex ijs omnia. Hoc verò est proprium primorum Contrariorum; Nam quatenus sunt prima, non fiunt ex alijs; quatenus Contraria, non fiunt ex se inuicem. Verum quomodo *ex ijs omnia* fiant, ratione considerandum est. Tex. 42. *

Supponendum primo quod ex omnibus Entibus nullum est ita à natura comparatum, vt agat quoduis in quoduis, nec patiatur quodlibet à quolibet, neque fiat quodcumque ex quocumque nisi per accidens. Quomodo enim album fieri posset ex musico, nisi quia contingit, vt musicum sit album aut nigrum? verum album fit ex eo quod non est album; non quidem ex omni *non albo*, sed ex nigro aut alio colore intermedio. Et musicum fit ex non-musico: non quidem ex omni non-musico, sed ex musicæ ignaro*, aut alio si *detur* quod sit intermedium. Tex. 43.

Certum quoque est, id quod corrumpitur, non *mutari* in quoduis primum; verbi gratia album non *mutatur* in musicum nisi per accidens, sed in id quod non est album, non omne quidem non-album, sed in nigrum, aut alium colorem intermedium. Similiter musicum *cum corrumpitur*, *mutatur* in id quod est non-musicum, non quodlibet, sed quod est musicæ ignarum, aut aliquid aliud, si quid sit inter illa *interiectum*. Tex. 44.

Tex. 44. Eodem modo *ſe res habet* in cæteris : Eorum enim quæ non ſunt ſimplicia, ſed compoſita, eadem eſt ratio, quamuis hoc lateat defectu nominum quibus oppoſitæ affectiones diſtinguuntur. Neceſſe eſt enim vt omne quod eſt *iunctum & aptatum* fiat ex eo quod non eſt aptatum; & quod non eſt aptatum ex eo quod eſt aptatum. Et vt aptatum corrumpatur in id quod non eſt aptatum, non quoduis ſed quod illi eſt oppoſitum.

Tex. 45. Nihil autem intereſt an id dicatur de *iunctura &* adaptatione, vel de ordine, aut ſtructura; perſpicuum enim eſt quod *omnium illorum* eadem eſt ratio. Nam domus, ſtatua & aliud quoduis eiuſmodi, eodem modo fit; domus enim fit non quidem ex eo quod non eſt ſimul iunctum, ſed ex eo quod non eſt hoc & illo modo diſpoſitum. ***Nam quod partes domus ſimul iungantur, non ideo fit domus; ſed quod hoc & illo modo iungantur & diſponantur: Itaut domus fiat ex eo quod non eſt hoc & illo modo diſpoſitum.*** Sic etiam ſtatua & aliud quoduis figuram habens fit ex eo quod figuram non habet; Horum autem alterum eſt ordo, alterum compoſitio quædam.

Si itaque verum eſt quod omne quod fit, fiat ex contrarijs, aut medijs interiectis, & quod corrumpitur, *mutetur* in contraria aut intermedia (hæc autem ex contrarijs fiunt, vt colores ex albo & nigro) neceſſe eſt, vt ómnia quæ Naturâ fiunt, ſint contraria aut ex contrarijs fiant.

Tex. 46. Hucuſque fere progreſſi ſunt plurimi aliorum *Philoſophorum*, vt antea diximus; omnes enim ponentes, quamuis ſine ratione, elementa & quæ ab ipſis vocantur Principia, ea ſimul dicunt eſſe Contraria tanquam ab ipſa veritate coacti

Tex.45 Ὁμοίως δὲ τοῦτο καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων, ἐπεὶ καὶ τὰ μὴ ἁπλᾶ τῶν ὄντων, ἀλλὰ σύνθετα, κατὰ τὸν αὐτὸν ἔχει λόγον. ἀλλὰ διὰ τὸ μὴ τὰς ἀντικειμένας διαθέσεις ὀνομάζεσθαι, λανθάνει τοῦτο συμβαῖνον. ἀνάγκη γὰρ πᾶν τὸ ἡρμοσμένον ἐξ ἀναρμόστου γίνεσθαι καὶ τὸ ἀνάρμοστον ἐξ ἡρμοσμένου· καὶ φθείρεσθαι τὸ ἡρμοσμένον εἰς ἀναρμοστίαν καὶ ταύτην οὐ τὴν τυχοῦσαν, ἀλλὰ τὴν ἀντικειμένην.

Videtur mihi neque ἡρμοσμένον, neque ἁρμονίαν, ad sonos spectare, loquitur enim hic de ijs quæ συνθέσει fiunt & quorum opposita nomine designari non possunt.

Tex.46 Διαφέρει δ' οὐδὲν ἐπὶ ἁρμονίας εἰπεῖν ἢ τάξεως ἢ συνθέσεως· φανερὸν γὰρ ὅτι ὁ αὐτὸς λόγος ἐστίν. ἀλλὰ μὴν καὶ οἰκία καὶ ἀνδριὰς καὶ ὁτιοῦν ἄλλο γίνεται ὁμοίως· ἥτε γὰρ οἰκία γίνεται ἐκ τοῦ μὴ συγκεῖσθαι, ἀλλὰ διῃρῆσθαι τάδι ὡδί.
καὶ ὁ ἀνδριὰς καὶ τῶν ἐσχηματισμένων τι ἐξ ἀσχημοσύνης· καὶ ἕκαστον τούτων τὰ μὲν τάξις, τὰ δὲ σύνθεσίς τις ἐστίν.

Tex.47 Εἰ τοίνυν τοῦτ' ἐστὶν ἀληθές, ἅπαν ἂν γίνοιτο τὸ γινόμενον, καὶ φθείροιτο τὸ φθειρόμενον ἢ ἐξ ἐναντίων, ἢ εἰς ἐναντία καὶ τὰ τούτων μεταξύ· (τὰ δὲ μεταξὺ ἐκ τῶν ἐναντίων ἐστίν, οἷον χρώματα ἐκ λευκοῦ καὶ μέλανος) ὥστε πάντα ἂν εἴη τὰ φύσει γινόμενα ἢ ἐναντία ἢ ἐξ ἐναντίων.

Tex.48 Μέχρι μὲν οὖν τούτου σχεδὸν συνηκολουθήκασι καὶ τῶν ἄλλων οἱ πλεῖστοι καθάπερ εἴπομεν πρότερον. πάντες γὰρ τὰ στοιχεῖα καὶ τὰς ὑπ' αὐτῶν καλουμένας ἀρχάς, καίπερ ἄνευ λόγου τιθέντες, ὅμως τἀναντία λέγουσιν, ὥσπερ ὑπ' αὐτῆς τῆς ἀληθείας ἀναγκασθέντες.

διαφέρουσι δ' ἀλλήλων, τῷ τοὺς μὲν πρότερα, τοὺς δὲ ὕστερα λαμβάνειν· καὶ τοὺς μὲν γνωριμώτερα κατὰ τὸν λόγον, τοὺς δὲ κατὰ τὴν αἴσθησιν. Οἱ μὲν γὰρ θερμὸν καὶ ψυχρὸν, οἱ δὲ ὑγρὸν καὶ ξηρὸν, ἕτεροι δὲ περιττὸν καὶ ἄρτιον, οἱ δὲ νεῖκος καὶ φιλίαν, αἰτίας τίθενται τῆς γενέσεως. ταῦτα δ' ἀλλήλων διαφέρει κατὰ τὸν εἰρημένον τρόπον.

Ὥστε ταῦτα λέγειν πῶς καὶ ἕτερα ἀλλήλων· ἕτε- Tex. 49
ρα μὲν ὥσπερ καὶ δοκεῖ τοῖς πλείστοις, τὰ αὐτὰ δὲ ᾗ ἀνάλογον. λαμβάνουσι γὰρ ἐκ τῆς αὐτῆς συστοιχίας. τὰ μὲν γὰρ περιέχει, τὰ δὲ περιέχεται τῶν ἐναντίων. ταύτῃ δὴ ὡσαύτως λέγουσι καὶ ἑτέρως, καὶ χεῖρον καὶ βέλτιον· καὶ οἱ μὲν γνωριμώτερα κατὰ τὸν λόγον ὥσπερ εἴρηται πρότερον· οἱ δὲ κατὰ τὴν αἴσθησιν· τὸ μὲν γὰρ καθόλου, κατὰ τὸν λόγον γνώριμον· τὸ δὲ καθ' ἕκαστον, κατὰ τὴν αἴσθησιν. ὁ μὲν γὰρ λόγος τοῦ καθόλου, ἡ δὲ αἴσθησις τοῦ κατὰ μέρος· οἷον τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν κατὰ τὸν λόγον· τὸ δὲ μανὸν καὶ πυκνὸν κατὰ τὴν αἴσθησιν. ὅτι μὲν οὖν ἐναντίας δεῖ τὰς ἀρχὰς εἶναι, φανερόν.

differunt ſolum inter ſe quod alij priora *contraria* accipiant, alij poſteriora. Alij ea quæ ſunt notiora ſecundum rationem; alij ea quæ ſecundum ſenſum. Illi etenim cauſas generationis ponunt calidum & frigidum; hi humidum & ſiccum; alij par & impar; quidam odium & amorem: hæc autem differunt eo quo diximus modo.

Itaut omnes aliquando eadem & diuerſa dicant, Tex. 49.
diuerſa quidem quatenus diuersè ſentire creduntur à multis; eadem vero, quatenus in illis eſt analogia: Omnes enim trahunt ſua principia ex eadem claſſe & ordine rerum. Sunt enim contraria quæ continent, *& ſuperiora ſunt*, alia continentur *& ſunt inferiora*. Et in hoc eadem & diuerſa dicunt, melius & deterius ſentiunt. Alij enim aſſumunt ea quæ ſunt notiora ſecundum rationem; Alij ea quæ ſunt *notiora* ſecundum ſenſum, vt ſupra diximus. Vniuerſale autem notius eſt ſecundum rationem, ſingulare vero *notius eſt* ſecundum ſenſum: Ratio enim conſiderat res vniuerſales, ſenſus vero ſingulares. Sic magnum & paruum ad rationem *ſpectant*; Rarum & denſum ad ſenſum. Itavt manifeſtum ſit principia debere eſſe contraria.

CAPVT VI.

Quod tria sint Principia.

Tex. 50 ONSEQVENS est vt dicamus an illa sint duo, aut tria, aut plura. Vnum enim non possunt esse, quia cum sint contraria, non possunt esse vnum. Non sunt etiam infinita, nihil enim sciri *& cognosci* posset. Tum quia in omni *entium* genere vna est contrarietas; substantia autem est vnum genus rerum *& proinde vnica in illa est contrarietas.* Præterea patet ea debere esse finita, eo quod melius est vt sint finita quam infinita. Empedocles enim reddit rationem omnium *per principia finita*, æque ac Anaxagoras per infinita: *Quod autem per pauca fieri potest, nunquam natura efficit per plura.* Denique contrariorum alia sunt priora, alia ex alijs fiunt, vt dulce & amarum, album & nigrum; Principia autem debent
* manere *& esse constantia, & inuariabilia & proinde non debent fieri ex alijs; oportetque vt sint prima, quia prima sola sunt constantia & inuariabilia; prima autem contraria non possunt esse infinita, vt probauimus.*

Tex. 51. Patet ergo ex ijs, principia non posse esse vnum nec infinita. Cum itaque sint finita *& certo in numero*, verisimile est plura esse duobus. Si enim duo tantum sint, *vt volunt ij qui rarum & densum faciunt principia omnium rerum*; Aliquis dubitare poterit,
* quomodo densitas possit aliquid efficere ex raritate; aut raritas aliquid ex densitate. Eadem autem est ratio cuiuslibet alterius contrarietatis; quoniam

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ς'.

Tex. 50 ΧΟΜΕΝΟΝ δ' ἂν εἴη λέγειν πότερον δύο, ἢ τρεῖς, ἢ πλείους εἰσί. μίαν μὲν γὰρ οὐχ οἷόν τε, ὅτι οὐχ ἓν τἀναντία. Ἀπείρους δὲ οὔ· ὅτι οὐκ ἐπιστητὸν τὸ ὂν ἔσται. Μία τε ἐναντίωσις ἐν παντὶ γένει ἑνί, ἡ δ' οὐσία ἕν τι γένος. Καὶ ὅτι ἐνδέχεται ἐκ πεπερασμένων, βέλτιον δ' ἐκ πεπερασμένων, ὥσπερ Ἐμπεδοκλῆς, ἢ ἐξ ἀπείρων. πάντα γὰρ ἀποδιδόναι οἴεται, ὥσπερ Ἀναξαγόρας ἐκ τῶν ἀπείρων. Ἔτι δ' ἐστὶν ἄλλα ἄλλων πρότερα ἐναντία καὶ γίνεται ἕτερα ἐξ ἄλλων, οἷον τὸ γλυκὺ καὶ πικρὸν, καὶ λευκὸν καὶ μέλαν. Τὰς δ' ἀρχὰς ἀεὶ δεῖ μένειν. *

Hæc verba non videntur ab alijs recte interpretata, si enim μένειν *significat* manere in *ita vt principia debeant manere in composito, præterquam quod hoc non conuenit priuationi, hæc verba nullam habent connexionem & sequelam cum præcedentibus; quod enim principia alia sint prima, alia ex alijs fiant, inde non sequitur quod debeant permanere.*

Tex. 51. Ὅτι μὲν οὖν οὔτε μία, οὔτε ἄπειροι, δῆλον ἐκ τούτων. Ἐπεὶ δὲ πεπερασμέναι, τὸ μὴ ποιεῖν δύο μόνον, ἔχει τινὰ λόγον. ἀπορήσειε γὰρ ἄν τις πῶς ἡ πυκνότης * τὴν μανότητα ποιεῖν τι πέφυκεν, ἢ αὕτη τὴν πυκνότητα. ὁμοίως δὲ καὶ ἄλλη ὁποιαοῦν ἐναντιότης· οὐ γὰρ ἡ

* μανότητα *subauditur* κατά.

φιλία τὸ νεῖκος συνάγῃ καὶ ποιεῖ τι ἐξ αὐτοῦ, οὐδὲ τὸ νεῖκος ἐξ ἐκείνης, ἀλλ' ἄμφω ἕτερόν τι τρίτον.

Ενιοι δὲ καὶ πλείω λαμβάνουσιν ἐξ ὧν κατασκευάζουσι τὴν τῶν ὄντων φύσιν.

Πρὸς δὲ τούτοις ἔτι κἂν τόδε τις ἀπορήσειεν εἰ μή τις ἑτέραν ὑποθήσεται τοῖς ἐναντίοις φύσιν. Οὐδενὸς γὰρ ὁρῶμεν τῶν ὄντων οὐσίας τἀναντία· τὴν δ' ἀρχὴν οὐ καθ' ὑποκειμένου δεῖ λέγεσθαι τινος. ἔσται γὰρ ἀρχὴ τῆς ἀρχῆς· τὸ γὰρ ὑποκείμενον ἀρχή, καὶ πρότερον δοκεῖ τοῦ κατηγορουμένου εἶναι. Ἔτι, οὐκ εἶναι φαμὲν οὐσίαν ἐναντίαν οὐσίᾳ. Tex. 52

πῶς οὖν ἐκ μὴ οὐσιῶν οὐσία ἂν εἴη; ἢ πῶς ἂν πρότερον μὴ οὐσία οὐσίας εἴη;

Διόπερ εἴ τις τόν τε πρότερον ἀληθῆ νομίσειεν εἶναι λόγον, καὶ τοῦτον ἀναγκαῖον, εἰ μέλλει διασώσειν ἀμφοτέρους αὐτούς, ὑποθεῖναι τι τρίτον· ὥσπερ φασὶν οἱ μίαν τινὰ φύσιν εἶναι λέγοντες τὸ πᾶν, οἷον ὕδωρ, Tex 53.

amor non *iungit & congregat* odium neque ex eo quicquam facit, *sicut calor non congregat frigus, neque quicquam ex illo producit*; Sed vtrumque debet aliquod tertium efficere; *Et ex consequenti cum illud tertium sit compositum ex pluribus, illa vero non possint vniri, nec aliquid ex se inuicem producere, oportet vt sit aliquid quod se adiungat hisce contrarijs quæ coniungi per se non possint.* Idcirco sunt quidam qui plura *duobus principia* ponunt ex quibus constituunt naturam omnium rerum.

Præterea nisi supponatur hisce Contrariis alia natura *pro subiecto*, aliquis *iterum hic* dubius hærebit: Nunquam enim videmus quod contraria sint de essentia rerum; *se enim expellunt inuicem*; principium autem est de essentia rei, neque debet enunciari *in recto* de subiecto, aliàs principium haberet principium: subiectum enim est principium, & videtur esse prius quam id quod de eo prædicatur; denique non dicimus substantiam esse contrariam substantiæ: *quod si omnia ex principijs fiant, principia substantiæ non erunt substantiæ; cum nihil sit contrarium substantiæ, omnia vero principia sunt contraria, vt supponitur.* Quomodo igitur substantia constabit ex non substantiis, & quomodo nonsubstantia erit prior substantia? *Cum enim sit principium, debet esse prius illà.* Tex. 52.

* *Potest prædicari principium in obliquo, potest enim dici. Materia est forma, sed non materia est forma, priuatio est forma, sed non forma.*

Eamobrem, si quis existimet hunc discursum, vt & prius allatum esse verum, *& concedendo principia esse contraria, difficultates propositas non esse spernendas putet*, vt veritatem vtriusque tueatur debet necessario supponere tertium quid *pro subiecto contrariorum.* Quemadmodum fecere qui volunt vt vniuersum sit vna natura quædam, verbi gratia Tex. 53.

aqua, vel ignis, vel aliquid inter hæc medium.
Tex. 54. Quod vltimum quidem est verosimilius; Nam ignis terra, aër & aqua contrarietatibus sunt implicita, *& annexa: quod tamen repugnat naturæ subiecti quæ debet esse susceptiua contrariorum.* Vnde fit vt non absurde agant qui diuersum ab elementis subiectum ponunt: Tum ij qui Aërem *illud esse volunt*, non enim habet differentias sensibiles aliorum, *videturque magis indifferens ad omnes contrarietates*: Consequenter vero ij qui Aquam *illud principium & subiectum esse statuunt.*

Tex. 55. Verum quotquot hanc naturam proponunt, quamuis eam vnam esse dicant, in illa tamen agnoscunt contraria, vt raritatem & densitatem, magis & minus; *seu magnum & paruum*, & hæc sunt in vniuersum excessus & defectus, vt diximus antea. Videtur autem ea sententia quæ principia statuit, vnum, excessum, & defectum, esse antiqua: quamuis differat ab opinione recentiorum in eo quod antiqui dixerint hæc duo agere, vnum vero pati *& recipere actionem aliorum*; quidam vero recentiorum contrarium asserunt dicentes vnum agere, & alia duo pati.

Tex. 56. Itaque qui hæc & alia huiusmodi considerauerint, existimare poterunt aliquam esse rationem ponendi tria principia, vt diximus non autem plura tribus: Vnum enim est capax patiendi *& recipiendi actionem contrariorum.* Si vero quatuor ponantur, duæ erunt Contrarietates; ideoque necessum erit, vt seorsim ponatur aliqua alia natura media, *quæ sit subiectum contrariorum, & proinde erunt plura principia quam quatuor.* Quod si duo possunt ex se inuicem omnia producere; altera contrarietas erit

Tex.54 ἢ πῦρ, ἢ τὸ μεταξὺ τούτων. Δοκεῖ δὲ τὸ μεταξὺ μᾶλλον· πῦρ γὰρ δὴ καὶ γῆ καὶ ἀὴρ καὶ ὕδωρ μετ' ἐναντιωτήτων συμπεπλεγμένα ἐστί. διὸ οὐκ ἀλόγως ποιοῦσιν οἱ τὸ ὑποκείμενον ἕτερον τούτων ποιοῦντες· τῶν δὲ ἄλλων οἱ ἀέρα· καὶ γὰρ ὁ ἀὴρ ἥκιστα ἔχει τῶν ἄλλων διαφορὰς αἰσθητάς· ἐχόμενον δὲ τὸ ὕδωρ.


Tex.55. Ἀλλὰ πάντες γε τὸ ἓν τοῦτο τοῖς ἐναντίοις σχηματίζουσιν, οἷον πυκνότητι καὶ μανότητι καὶ τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον. ταῦτα δ' ἐστὶν ὅλως ὑπεροχὴ δηλονότι καὶ ἔλλειψις, ὥσπερ εἴρηται πρότερον. Καὶ ἔοικε παλαιὰ εἶναι καὶ αὐτὴ ἡ δόξα, ὅτι τὸ ἓν καὶ ὑπεροχὴ καὶ ἔλλειψις ἀρχαὶ τῶν ὄντων εἰσί· πλὴν οὐ τὸν αὐτὸν τρόπον. ἀλλ' οἱ μὲν ἀρχαῖοι τὰ δύο μὲν ποιεῖν, τὸ δὲ ἓν πάσχειν· τῶν δὲ ὑστέρων τινὲς τοὐναντίον, τὸ μὲν ἓν ποιεῖν, τὰ δὲ δύο πάσχειν φασὶ μᾶλλον.

Tex 56. Τὸ μὲν οὖν τρία φάναι τὰ στοιχεῖα εἶναι ἔκ τε τούτων καὶ ἐκ τοιούτων ἄλλων ἐπισκοποῦσι, δόξειεν ἂν ἔχειν τινὰ λόγον ὥσπερ εἴπομεν· τὸ δὲ πλείω τριῶν, οὐκ ἔτι. Πρὸς μὲν γὰρ τὸ πάσχειν ἱκανὸν τὸ ἕν. Εἰ δὲ τεττάρων ὄντων, δύο ἔσονται ἐναντιώσεις, δεήσει χωρὶς ἑκατέρας ὑπάρχειν ἑτέραν τινὰ μεταξὺ φύσιν. Εἰ δ' ἐξ ἀλλήλων δύνανται γεννᾶν, περίεργος ἂν εἴη ἡ ἑτέρα

τῶν ἐναντιώσεων.

Ἅμα δὲ καὶ ἀδύνατον πλείους εἶναι ἐναντιώσεις τὰς πρώτας, ἡ γὰρ οὐσία ἕν τι γένος ἐστὶ τοῦ ὄντος, ὥστε τῷ πρότερον καὶ τῷ ὕστερον διοίσουσιν ἀλλήλων αἱ ἀρχαὶ μόνον, ἀλλ᾽ οὐ τῷ γένει. ἀεὶ γὰρ ἐν γένει μία ἐναντίωσίς ἐστιν. ἅπασαι δὲ αἱ ἐναντιώσεις ἀνάγεσθαι δοκοῦσιν εἰς μίαν.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Ζ'.



ΤΙ μὲν οὖν οὔτε ἓν τὸ στοιχεῖον, οὔτε πλείω δυοῖν ἢ τριῶν φανερόν. τούτων δὲ πότερον, καθάπερ εἴπομεν, ἀπορίαν ἔχει πολλήν. ὧδ᾽ οὖν ἡμεῖς γε λέγομεν πρῶτον περὶ πάσης γενέσεως ἐπελθόντες· ἔστι γὰρ κατὰ φύσιν τὰ κοινὰ πρῶτον εἰπόντας, οὕτω τὰ περὶ ἕκαστον ἴδια θεωρεῖν. Tex. 57

Φαμὲν γὰρ γίνεσθαι ἐξ ἄλλου ἄλλο, καὶ ἐξ ἑτέρου ἕτερον, Tex. 58 *

Animaduertendum hîc est eos qui dicunt ἄλλο notare substantiam, ἕτερον vero accidens, errare; cum vtriusque exempla proferat Aristoteles accidentia. Praeterea hisce exemplis patet principia dari non solum generationis, sed etiam rei genitae & compositi; potest enim dici quòd homo factus est musicus, & quod non musicum factum est musicum? Et priuatio aeque est principium rei factae quam rei quae fit, cum vtrobique sit principium per accidens.

ἢ τὰ ἁπλᾶ λέγοντες, ἢ τὰ συγκείμενα. λέγω δὲ τοῦτο ὡδί.

superflua : *Ostendemus autem duo sufficere ad omnium rerum generationem, non est ergo necesse vt plura ponantur.* Adde quod non possunt esse plures primæ contrarietates ; Substantia enim vnum genus entis est. Itaut, *si plures sint contrarietates*, non erunt genere diuersæ ; sed tantum quatenus alia erit prior, alia posterior. Vna autem est contrarietas in vno genere, & omnes aliæ contrarietates videntur debere reduci ad vnam.

CAPVT VII.

Demonstratio trium Principiorum.

MANIFESTVM est igitur quòd neque est vnum Principium, neque plura duobus aut tribus. Quodnam autem amborum illud sit *verius*, magnam habet dubitationem, vt diximus. Eam autem methodum sequemur vt prius de omni generatione *& in genere* dicamus ; *Ordo enim ille* est secundum naturam vt de rebus communibus *& vniuersalibus* primùm locuti, ea quæ vnicuique sunt propria deinde consideremus. Tex. 57.

Quando aliquid producitur, dicimus ex alio aliud, Tex. 58. *
& ex altero alterum fieri, *nimirum semper est vna res quæ eadem manens nouam formam accipit, & hoc est ex alio aliud fieri ; alia vero quæ omnino corrumpitur, totaque transit in hanc formam, & hoc est ex altero alterum fieri :* Siue loquamur de rebus simplicibus, siue de compositis. Id autem ita explico. *In Productione cuiuslibet rei tres sunt loquendi formulæ vsitatæ &*

veræ. verbi gratia cum fit Musicus, verum est dicere quòd homo fit musicus, & *quòd* non-musicum fit musicum, & *quòd* homo non-musicus fit homo musicus, *nullaque est alia quævis alterius rei productio in qua eadem loquendi norma non sit vsitata & certa.* Simplex autem voco tam id quod fit, vt homo & non-musicum, quam id quod factum est, vt musicum. Quando vero dicimus quòd homo non-musicus fit musicus, aut homo musicus, illud vocamus compositum tam id quod fit, quam id quod factum est, *In homine enim non-musico duo sunt, & proinde est quædam compositio.*

Earum autem rerum altera est de qua non solum dicitur quòd fiat tale quid, sed etiam quòd ex ea fiat tale quid, verbi gratia, *non solum dicitur quòd non-musicum fiat musicum; sed etiam quòd* ex non-musico fiat musicum. Altera quoque est de qua hoc non dicitur in omnibus; nam *dicitur quòd* homo fit musicus, sed non *dicitur* quòd ex homine fiat musicus; *Et proinde cum non musicum habeat aliquid proprium quod in alijs non reperitur, oportet vt sit quid diuersum ab illis.*

Tex. 59. Deinde eorum quæ fiunt quæque simplicia fieri dicimus, *vt homo & non-musicum*, vnum est permanens, alterum non permanens. Quando enim homo fit musicus, homo permanet & est *cum musico; sed quando dicimus quòd non-musicum fit musicum,* non-musicum aut musices ignarum non permanet, *sed abit & corrumpitur,* non solum in rebus simplicibus, sed etiam in compositis. Quando enim homo musicæ ignarus fit musicus, homo musicæ ignarus non remanet, *sed abit:* Et *proinde quod est perma-*

ἔστι γάρ που γίνεσθαι ἄνθρωπον μουσικόν, ἔστι δὲ τὸ μὴ μουσικόν τι γίνεσθαι μουσικόν, ἢ τὸν μὴ μουσικὸν ἄνθρωπον, ἄνθρωπον μουσικόν.

Ἁπλοῦν μὲν οὖν λέγω τὸ γιγνόμενον, τὸν ἄνθρωπον καὶ τὸ μὴ μουσικόν· καὶ ὃ γίνεται ἁπλοῦν τὸ μουσικόν· συγκειμένων δὲ καὶ ὃ γίγνεται, καὶ τὸ γιγνόμενον, ὅταν τὸν μὴ μουσικὸν ἄνθρωπον φῶμεν γίγνεσθαι ἢ μουσικόν, ἢ μουσικὸν ἄνθρωπον.

Τούτων δὲ τὸ μὲν οὐ μόνον λέγεται τόδε τι γίνεσθαι, ἀλλὰ καὶ ἐκ τοῦδε,

οἷον ἐκ μὴ μουσικοῦ, μουσικός. τὸ δὲ οὐ λέγεται ἐπὶ πάντων, οὐ γὰρ ἐξ ἀνθρώπου ἐγένετο μουσικός, ἀλλ' ὁ ἄνθρωπος ἐγένετο μουσικός.

Tex.59. Τῶν δὲ γινομένων, ὡς τὰ ἁπλᾶ λέγομεν γίνεσθαι, τὸ μὲν ὑπομένον γίνεται, τὸ δὲ οὐχ ὑπομένον. ὁ μὲν γὰρ ἄνθρωπος ὑπομένει μουσικὸς γινόμενος ἄνθρωπος καὶ ἔστι. τὸ δὲ μὴ μουσικὸν καὶ τὸ ἄμουσον, οὔτε ἁπλῶς, οὔτε συντιθέμενον ὑπομένει.

Διωρισμένων δὲ τούτων, ἐξ ἁπάντων τῶν γιγνομένων τοῦτο ἔστι λαβεῖν, ἄν τις ἐπιβλέπῃ, ὥσπερ λέγομεν, ὅτι δεῖ ἀεί τι ὑποκεῖσθαι τὸ γινόμενον· καὶ τοῦτο εἰ καὶ ἀριθμῷ ἐστὶν ἕν, ἀλλ' εἴδει γε οὐχ ἕν. (τὸ γὰρ εἴδει λέγω καὶ λόγῳ ταὐτόν) Tex.60

οὐ γὰρ ταὐτὸν ἀνθρώπῳ καὶ τῷ ἀμούσῳ εἶναι· καὶ τὸ μὲν ὑπομένει, τὸ δ' οὐχ ὑπομένει. τὸ μὲν μὴ ἀντικείμενον ὑπομένει, ὁ γὰρ ἄνθρωπος ὑπομένει, τὸ δὲ μουσικὸν καὶ τὸ ἄμουσον οὐχ ὑπομένει, οὐδὲ τὸ ἐξ ἀμφοῖν συγκείμενον, οἷον ὁ ἄμουσος ἄνθρωπος.

Τὸ δ' ἔκ τινος γίνεσθαί τι, καὶ μὴ τόδε γίνεσθαί τι, μᾶλλον μὲν λέγεται ἐπὶ τῶν μὴ ὑπομενόντων, οἷον ἐξ ἀμούσου μουσικὸν γίνεσθαι, ἐξ ἀνθρώπου δὲ οὔ. ἀλλὰ μὴν καὶ ἐπὶ τῶν ὑπομενόντων ἐνίοτε λέγεται ὡσαύτως· ἐκ γὰρ χαλκοῦ ἀνδριάντα γίγνεσθαί φαμεν· οὐ τὸν χαλκὸν ἀνδριάντα· τὸ μέντοι ἐκ τοῦ ἀντικειμένου, καὶ μὴ ὑπομένοντος ἀμφοτέρως λέγεται, καὶ ἐκ τοῦδε τόδε, καὶ τόδε τόδε· καὶ γὰρ ἐξ ἀμούσου γίνεται μουσικός, καὶ ὁ ἄμουσος γίνεται μουσικός. Tex.61

διὸ καὶ ἐπὶ τοῦ συγκειμένου ὡσαύτως· καὶ γὰρ ἐξ ἀμούσου

nens differt ab eo quod non permanet; quamuis vnum & dem esse videatur.

His ita constitutis, si rem attente quis perspiciat, animaduertet, vt diximus quòd in omnibus rebus quæ fiunt, oportet semper vt sit aliquod subiectum quod fiat, quodque licet sit vnum numero, *ratione* tamen & specie sit multiplex (pro eodem hic sumo speciem, rationem, definitionem) *cum enim dico quòd homo fit musicus & quòd non musicum fit musicum, certum est quòd homo & non musicum, vnum & idem re sunt, quamuis* non eadem sit ratio hominis & non-musici, ille enim permanet, hoc vero non permanet, *sed abit & corrumpitur.* Quod autem non est oppositum, illud est quod permanet: homo enim, *vt pote subiectum & non oppositum* permanet, sed musicum & musicæ ignarum quæ sunt opposita, non permanent, vt neque id quod ex ijs duobus componitur, *nimirum homo musicus & homo ignarus musicæ.* Tex. 60.

Dicere vero quòd ex aliquo tale quid fiat, vel non fiat, *modus est loquendi qui* magis conuenit rebus non permanentibus. Ita *dicitur quòd* musicus fit ex ignaro musicæ, non vero quòd musicus fiat ex homine. Quamuis etiam id aliquando dicatur de rebus *quibusdam* permanentibus. Dicimus enim quod statua fiat ex ære, non vero quod æs fiat statua, *verum hoc raro contingit*: At de eo quod est oppositum & quod non permanet vtrumque *semper* dicitur & quòd ex eo tale quid fiat, & quòd id fiat tale quid; ex ignaro enim musicæ fit musicus; & ignarus musicæ fit musicus. Quod de composito quoque *dicitur, dicitur enim quòd* ex homine ignaro musicæ fit *homo musicus* & quòd Tex. 61.

homo ignarus musicæ fit homo musicus. *Vnde patet subiectum & opposita specie esse diuersa, quamuis reuera vnum & idem sint.*

Tex.62. Cum autem fieri, multipliciter dicatur, & alia sint quæ non simpliciter fiant, sed tale quid fiant, (*quòd enim homo fiat aut domus fiat, id simpliciter fieri dicitur, sed quòd homo fiat albus, non id simpliciter fieri dicitur sed cum restrictione.*) solæ vero substantiæ simpliciter fieri dicantur, perspicuum est quòd in cæteris *quæ non fiunt simpliciter*, debet esse subiectum quod fiat *tale quid*. Quantum enim & Quale, Relatio, Esse in tempore, in loco, non fiunt nisi in subiecto aliquo: Sola enim est substantia quæ de subiecto non enunciatur: reliqua vero de substantia dicuntur. Quod vero substantiæ ipsæ, aliaque omnia quæ simpliciter fiunt, fiant ex aliquo subiecto, consideranti vtique manifestum fiet; semper enim est aliquid quod subiicitur ex quo fit illud quod producitur, quale est semen ex quo plantæ & animalia fiunt.

Tex. 63. Quoniam eorum quæ fiunt simpliciter, alia fiunt per figuræ *solam* mutationem, vt statua *ex cera subacta vel* ex ære *fusili*: Alia per additionem *nouæ materiæ, vt quæ crescunt & augentur*: Alia per ablationem *& diminutionem*, quemadmodum Mercurius ex lapide: Alia per compositionem, vt domus; Alia per alterationem vt ea quorum materia mutatur, *& accipit alias formas, vt chylus, sanguis, &c.* Manifestum est autem quòd omnia quæ sic fiunt, ex subiectis fiunt.

Tex. 64. Itaut pateat ex ijs quæ diximus quòd omne quod fit, est semper compositum: est enim aliquid quod fit, *verbi gratia forma* & aliquid quod tale quid fit,

ἀνθρώπου καὶ ἄμουσος ἄνθρωπος γίνεσθαι λέγεται μουσικός.

Tex.62 Πολλαχῶς δὴ λεγομένου τοῦ γίνεσθαι, καὶ τῶν μὲν οὐ γίνεσθαι ἁπλῶς, ἀλλὰ τόδε τι γίνεσθαι. Ἁπλῶς δὲ γίνεσθαι τῶν οὐσίων μόνον, κατὰ μὲν τἆλλα, φανερὸν ὅτι ἀνάγκη ὑποκεῖσθαί τι τὸ γινόμενον.

Καὶ γὰρ ποσὸν καὶ ποιὸν, καὶ πρός τι ἕτερον, καὶ ποτὲ καὶ ποῦ γίνεται ὑποκειμένου τινός, διὰ τὸ μόνην τὴν οὐσίαν κατὰ μηδενὸς ἄλλου λέγεσθαι ὑποκειμένου, τὰ δ' ἄλλα πάντα κατὰ τῆς οὐσίας. Ὅτι δὲ καὶ αἱ οὐσίαι καὶ ὅσα ἄλλα ἁπλῶς ὄντα ἐξ ὑποκειμένου τινος γίνεται, ἐπισκοποῦντι γένοιτ' ἂν φανερόν· ἀεὶ γὰρ ἐστί τι ὃ ὑπόκειται, ἐξ οὗ γίνεται τὸ γινόμενον, οἷον τὰ φυτὰ, καὶ τὰ ζῶα ἐκ σπέρματος.

